


Z
LE III
II*


BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXVIII*
A
51
NAPOLI
XXVIII*
a
51.

Carminū libellus iste, est Franci[illegible]
Laleinij d moci dalus, nec certe
[illegible]erri̅dus.


115 C 43

PETRI GHERARDII BVRGENSIS CARMINVM Libri II.

Item Roberti Titij Burgensis Carminũ

LIBER I.

Ad Thomam M[illegible]*sem.*

Additi sunt [illegible].



FLORENTIAE

Apud Carolum Pectinarium. MDLXXI.



Matthæi Romani. I. C.

Carmina bella facis Vincenti: quis docet artem?
Pierides Musæ? Pieriusúe puer?

PETRVS GHERARDIVS THOMAE MERMANNO Coloniensi S. D.



VANTI *apud me sis, vel ex hoc perspicere potuisti, quòd, cùm ego grauissima de excudendo Alexandro cura distinerer, tuæ tamen voluntati, præsertim in re difficili, non morem gerere, nefas esse existimaui: nam neq; occupata opera, neq; impedito animo suscipi illa res potest, quam tu à me requisisti: mihi autem nullum vnquã tempus aut à veterum codicum inspectione, aut à commentatione domestica, aut à scribendo, aut à castigando vacabat: neq; ego is sum, vt, quod mihi occupationes eripiunt, id ingenij præstantia consequi possim. Sed & onus recepisse, quod is sustinere non pote*

*rat, quem & naturæ bonitas, & poeticæ ar
tis studium defecerat, hominis certè fuit ma
gis amici offensionem verentis, quàm vulgi
aut doctorùm reprehensionem. Itaq; cùm
tuo studio, non meo iudicio inductus paucu-
la illa carmina, quæ ego interdum soleo à gra
uioribus disciplinis feriatus conscribere, expo
lire cepissem; quædamq; detrahens, nonnul
la addens, nõ pauca corrigens diuulgare vel
lem: placuit mihi ea in tuo nomine emitte-
re, vt, si nostra hæc tenuis vigilia in graues
doctorum virorum reprehensiones incurrat,
vterq; suam culpam sustineat: nam tuā qui
dem iniquitatem accusabunt, qui me ad illa
impuleris, quæ ego præstare non possem: meā
facilitatem irridebunt, cùm tibi roganti ma
luerim obsequi, quàm existimationi meæ cõ
sulere. Sed ne hic libellus politiores, & de
licatiores homines à se reijceret, volui non-
nulla appingere optimi, & peringeniosi ado
lescentis Roberti Titij ciuis mei, lepidißima
quidem,*

quidem, & elegantiſſima: nam & horridu li noſtri verſus horum tamquam nitore ſplē deſcent, & ſub amari quaſi dulcedine miti gabuntur. Quòd ſi ipſe, vt ſpero, optimam ex his editis famam colliget, nō dubito, quin aliqua tantarum laudum pars in nos redun dct, isq; me in ſuæ gloriæ ſocietatem venire patiatur: noſti enim adoleſcentis modeſtiã, &, quàm libentius ipſe omnes ſuas laudes, quæ, & multæ, & magnæ ſunt, in alios trãsferat, quàm aliquam partem ex alienis eripiat, non ignoras. Interim vale, & mu nus lentidenſe boni conſulas.

Florentia. Kal. Oct. CIↃ. IↃ. LXXI.

PETRI GHERARDII BVRGENSIS CARMINVM LIBER PRIMVS.

AD FRANCISCVM MEDICEM MAGNVM ETRVRIAE PRINCIPEM.

O Flos Hesperiæ & decus perenne
Francisce, o meritò beate Princeps,
Princeps maximè principum potentum,
Quem Mars & pater, & Minerua Pallas
Ad ripam placidè fluentis Arni
Certant artibus vndiq; expolire:
Si vmquam sollicitæ preces tuorum,
Plenaq; officij rogationes
Apud te valuere; si quod vmquam
Tui signum animi benignioris
Dedisti, tua liberalitasq;
Vllos exacuit bonas ad artes:
Ne quæso remorare, ne recusa
Pro tua pietate singulari,
Pro summo ac studio tuos in omnes,
Hoc munus dare promptè & expeditè,
Hoc vitæ miseræ & grauis leuamen,
Quod abs te modò supplici libello

Petit pauperie mala coactus
Omnium tenuißimus tuorum.
Nam & tua eximia benignitate,
Et COSMI patris, omnium & tuorum
Rem dignam facies, facillimamq́:
Atq; id polliceor libenter ipse,
Me daturum operam, vt videre poßis
Princeps vnice liberalitatem
Haud prorsus malè te locasse tantam,
Tuum nec perijsse grande munus.
Quare quod petimus pudenter abs te,
Si (vt spero & cupio) assequemur vmquam,
Nos tantæ memores benignitatis,
Donec pars animæ vigebit vlla,
Gratias tibi maximas agemus.

AD NICOLAVM TORNABONVM Episcopum Burgensem.

QVòd splendor patriæ tuæ beatæ,
Quòd & nobilitas domus vetustæ
Clarant te, & celebrant virum per ora:
Quòd virtus tua candidiq́ mores
Debitos tibi tradidere honores,
Te auxere eximiaq́ dignitate:
Quòd tu amantior artium bonarum
Doctis ingenijs faues libenter,
Atq; de omnibus optimè mereris:
Quòd vita integritas amica diuis

Laudem

Laudem mirificam tibi parauit
Omnem apud populum bonosq́ ciues:
Quòd nemo est melior benigniorq́
Te, nec blandior aut domi forisue,
Nemo qui mage patriam iacentem
Quaerat omni ope sublcuare nostram?
Hac inquam meritò fuere causa
Antistes venerande, cur licenter,
Cùm te omni pietate prosecutus
Iamdudum fuerim tacensq́ amarim,
Nunc, nec ingenio valens nec arte,
Ausus sim tibi mittere, & dicare
Hosce versiculos meos minutos.
Nam cùm non aliud mihi daretur,
Quo possem satis indicare apertè,
Quanti te faciam, tibiq́ quantum
Iamdiu tribuam: hoc poëma paruum
Confeci vt potui, ac tibi afferendum
Curaui: vt leue pignus obsidemq́
Haberes & honoris atq; cultus,
Quem semper tribui tibi merenti.
Quare ò flos hominum bonorum, & ingens
Mineruae decus, vnicum ac perenne,
Qui & colis studia ipsa litterarum,
Et colentibus illa liberali
Mente, atq; ex animo faues, & ornas
Quicumq; ingenio & labore duro
Virtutem sibi comparare pergunt,
TORNABONE: rogo (nisi id molestum est,)

Te ne spernere nec putare parui
Velis, quicquid id est, quod impolitè,
Testem vt perpetuum sui in te amoris,
Suaeq; eximiae fidelitatis,
Conscripsit tibi maximo patrono
Omnium tenuissimus tuorum;
Sed idem tamen omnium tuorum,
Maximi cupidissimus patroni.
Viue iam incolumis diu ac beatus:
Et, si non penitus tibi videbor
Tuo indignus amore, fac vt ipse
Me in fidem accipias tuam libenter.

AD ANTONIVM Meliorium.

ANtoni omnibus è viris benignis,
Quotquot Tuscia terra procrearit,
Antistes charitumq; alumne dulcis,
Pro meo in te amore singulari
Commendo tibi me, meamq; causam:
De qua saepius ipse sum locutus
Tecum praeteritis diebus, istic
Cum adessem, & studium tuum rogarem.
Magnitudo negotij profectò
Terret me, & facit vt laborem: at hercle
Postea, studiumq; gratiamq;,
Qua polles, animo videns supremo,

Magnam

Magnam in spem venio exitum ad secundum
Ducendi modo quicquid est negotij.
Nam quis te officiosior, magisq;
Iuuandi cupidus? quis vrbe in ista
Gratiosior est apud potentem
Principem Italiæ decus perenne?
Tui in me manifesta signa amoris;
Et fides tua rara comitasq;,
Sic me ad spem rapiunt, meosq; sensus
Sic nunc exhilarant fouentq;, vt ipse
Quicquam non dubitem impetrare, siquid
Fretus præsidio & tuo fauore
Petam à munifico optimoq; COSMO.
Quare si modo (quæ tua est voluntas
Propensa ad benè de omnibus merendum)
Hanc rem suscipiens meam atq; caussam
Curabis studio tuo expedire:
Et me in perpetuum patrone dulcis
Hoc magno officio tibi obligaris,
Et tua hac facies benignitate,
Vt, qui te prius vnicè colebam
Propter mirificos tuos lepores,
Tuiq; ingenij suauitatem,
Idem adiungere cogar obligatus
Ingentem cumulum meo in te amori,
Et te non secus ac bonum parentem
Prosequi pietate singulari.

AD

AD PETRVM ANGELIVM.

QVI nulla ratione liberare
Possunt se aere alieno, & opprimuntur
In dies magis ac magis miselli:
Hi, aspectum licet horreant virorum
Longo tempore, nec queant subire,
Tamen, ni penitus mali improbiq;
Sint, & de suo honore pertimescant,
Hoc optant aliquando, & expeditè
Inducunt animum, suis vt ipsis
Fortunisq; bonisq; creditori
Cedant, & faciant satis petenti.
Quod ergo facere hi probi & pudentes
Sueuerunt homines, suam tueri
Dum fidem cupiunt: idem necesse est
Ipse nunc faciam pudore victus
Angeli decus & perenne lumen
Huius gymnasij, vnicumq; & altum
Ornamentum hominum eruditiorum.
Nam tu (quae est probitas tua, & parata
Voluntas animi benè ad merendum)
Cùm summis meritis perennibusq;
Tuis officijs ita obligatum
Me dudum teneas, referre vt vllam
Non possim tibi gratiam, nec vmquam
Sperem reddere posse: iam profectò,
Quando ingrati animi subire crimen

Pudet

Pudet me, aut aliis notis inuri,
Cogor me tibi tradere, atq; totum
Me ipsum addicere, sed tamen libenti
Gaudentiq; animo & nihil molesto.
Quòd si fortè alicui diserte Petre
(Te ipsum quandoquidem bonos in omnes
Propensum esse scio, malumq; quaestum
Non spectare) tuae benignitatis
Paruum atq; exiguum tulisse fructum
Nunc videberis: infima ille nostrae
Fortunae id tribuat. quid est enim, in quo
Tu nunc indigeas mei? aut quid vmquam
Continget tibi seu boni maliue,
Ad quod valde operam meam requiras?
Sed quicquid valeo tamen, libenter
(Vt dixi) tibi dedo me atque trado
Vir doctissime: nec puto futurum id,
Vt non aequo animo, atq; perlibenter
Me in fidem accipias tuam vicissim.
Viue iam incolumis diu: valensq;
Doctrina ingenioq; perge quaeso
Erudire laboribus modestos
Ac probos iuuenes, iuuare & ipsas
Artes ingenuas, suamq; cunctis
Antiquam reparare dignitatem.

AD

AD ROBERTVM TITIVM.

O Felix puer, ò puer beate,
Quo te carmine prædicare poßim?
Ecquando mea Musa te affluentem
Tot bonis animiq; corporisq;
Dignis laudibus efferet, tuumq;
Ad cœlum poterit vocare nomen?
colunt *Te nymphæ Aonides amant, tibiq;*
Ante annos Heliconios recessus
Pandunt expediuntq; perfruendos.
Cùm scribis numeros modosq; dulces,
Assurgunt tibi Gratiæ, & iocosos
Contingis vario lepore versus,
Versus, queis fera corda leniendo,
Tui mirificè excitas amores.
Tu vestigia persequens diserti
Et culti Ciceronis, elaboras
In linguæ studio eloquentiæq;.
Te Phœbus pater, & Minerua Pallas
Propter ingenium elegansq; & acre,
Nunc certant adeò simulq; gaudent
Bonis artibus vndiq; expolire:
Vt nobis videaris vnus esse
Flosculus iuuenum eruditiorum,
Ac tandem dubio procul futurus
Nostræ gloria patriæ, & perenne
Lumen, ac decus omnium virorum.

C 2 Te

Te summa ingenij indoles, pudorq;
Et modestia rara, te venustas
Ac suauis species decorq; vultus,
Sic reddunt celebrem, vt labore nullo
Tibi concilies perennem amorem,
Et quæras lepidos bonosq; amicos.
Quid mores faciles, quid instituta
Vitæ, quid referam bonosq; cultus,
Et castas simul educationes?
Quid sales, & amabiles lepores,
Lusus & teneros, iocosq; molles?
Hi interdum mihi, cæterisq;, qui te
Obseruant oculis, notantq; dicta,
Tàm blandum incutiunt amorem, vt hercle
Totum me eripiant mihimet ipsum.
Tu spiras Veneresq; Gratiasq;,
Et quicquid potis est mouere sensus,
Ac mentes hominum venustiorum.
O felix puer, o puer beate,
Tantis dotibus aucte, & absolute:
Sed felix magis, & magis beate,
Quòd tua probitate quisq; captus,
Vnum te gerit in suis ocellis.

AD VENTVRAM VENTVRIVM

ET si pro veteri meo in te amore,
Iucundißime amice, iamdiu ipse
Debebam numeris tuis politis

Respondere

Respondere aliquid, tibiq; magnas
Gratias agere, explicare & vnà,
Quantam lætitiamq; gaudiumq;
Tuo ex munere ceperim perenni:
Non feci tamen hoc adhuc, quòd ipse
Spectans tàm lepidos & elegantes
Tuos versiculos, meumq; paruum
Ac rude ingenium, haud volebam ineptè
Pro auro reddere plumbum, haberi & abs te
Vir parùm appositus parùmq; factus
Ad tale officium remunerandum:
Quamquam tu mihi non eos suaues
Scripsisti numeros, vt excitares
Cunctantem nimiùm meam Camœnam,
Indeq; eliceres suauiores.
Verùm postquàm ego sensi, amice dulcis,
Fore, vt, si penitus nihil mearum
Nugarum tibi mitterem vicissim,
Viderer grauiter viris quibusdam
Peccare, & gerere haud piè atq; honestè
Me: Musas & Apollinem rogaui,
Vt, si iam cuperent inire magnam
A me gratiam, & aptè & expeditè
Dictarent aliquod mihi poëma,
Quo gratum, memorem, atq; liberalem
Declararem animum meum, meumq;
Amorem ingenuum tibi indicarem.
Quare Pieridumq; Apollinisq;,
Quos dudum colui puer benigne

Nixus numine, carmina exaraui
Hac, quæ carminibus tuis rependo,
Licet non ita peruenusta, vt illa,
Quæ abs te sunt Charitum patre profecta.
Vale candide, docte, & erudite
Ventura: vnanimi & tuo sodali
Fac, vbi à studijs bonis vacabis,
Scribas hendecasyllabos iocosos:
Qui illum mirifico suo lepore
Oblectent, animo malasq; curas
Pellant, & studium ad nouem sororum
Sensim eum reuocent diu remissum.

AD THOMAM MERMANNVM.

PHœbi delicia, Mineruæ amores,
Quem plus diligo quàm meos ocellos,
Mermanne: hac procul ergo ab vrbe clara
Abisti, vnanimem & tuum sodalem
Liquisti in tenebris tuo recessu?
Liquisti? ò mihi fata acerbiora,
O rem difficilem, nimisq́ duram
Nunc ego haud potero, vt prius solebam,
Nec te visere singulis diebus,
Nec tuo vario simulq́ blando
Frui colloquio, atq; perlegendo
Tecum Græca volumina, & Latina
Longum fallere tempus ociosus.
Nunc certè sine te nihil suaue,

Nec carum potis est mihi euenire.
Quin his, cum studia ipsa proferendo
Indulget genio leuis iuuentus,
Saturnalibus optimis diebus,
Nec ludi, nec amabiles choreæ,
Nec lusus iuuenum proteruiorum
Spirantes Veneres Cupidinesq́;,
Poßunt me allicere ad iocos venustos,
Nec ad delicias libidinesq́;.
Soles te sine non nitent, sed atri
Sunt mihi, & potius malæ tenebræ.
Nam quo tempore tu procul migrasti
Hinc ad flumina Pisciæ nitentis,
Quà riui variè secant loquaces
Lymphis lucidulis amœna rura:
Ex eo anxietas, dolor, querelæ,
Et suspiria, lachrymæq; amaræ
Sic noctuq; diuq; me occuparunt,
Vt credam teneras meas medullas
Ob tuum hunc abitum impotente flamma
Totas funditus esse iam perustas.
Quare si cupis ò venuste Thoma
Nunc solatiolum doloris huius
Afferre vnanimi tuo sodali:
Si te dulcis amice cura tangit
Tui dulcis amiculi, & miselli
Quicquam te miseret: diu morari
Dum lubet procul à meis ocellis,
Ne quæso dare sæpe suauiores

Ad me litterulas piger recuses.
Nam solæ hæ poterunt diebus hisce,
Queis vultu caream tuo necesse est,
Et incendia mitigare mentis,
Et sensus hilarare, corculumq;.
Hoc ni tu facias, neq; hunc dolorem
Vis epistolijs leuare nostrum;
Hanc vrbem celeberrimam reuersus,
Offendes miserum tuum sodalem
Præ desiderio tui grauatum
Morbo lethifero, perennibusq;
Confectum lacrymis eum videbis
Ire semianimem rapacioris
Ad Orci ianuam tenebricosam.

AD MARIVM MAPHAEVM

Qvàm pulchrè sapientia magister
Olim Aristoteles, & eruditi
Scriptores alij ac perelegantes,
Quos illa aurea secla protulerunt,
Persuasi rationibus, magisq;
Inducti experientia, politis
Et sanè aureolis suis libellis
Mortales docuere, verum amorem
Ex sola probitate oriri, & ipsa
Virtute: atq; homines statim incitari
Nulla re magis integrè ad colendum,
Castèq; ex animoq; diligendum.

Quàm cum repperêrint qui habent honesti
Veram in se speciem, leuem nec umbram
Præstantis bonitatis, aut subacti
Cultiq; ingenij, atq; perspicacis?
Quàm rectè hæc video fuisse dicta,
Nec quicquam à ratione discrepare,
Ni, quæ sunt manifesta, pernegentur?
Quamuis nobilitas domus vetusta,
Insignis studioque litterarum,
Fortunæ & varijs bonis referta,
Atq; affabilitas benignitasq;,
Quibus iam omnibus antecellis vnus,
Commendent modò te viris quibusque,
Nec paucos capiant, vel impotenter
Incendant potius, te honore vt omni,
Et cultu studioq; prosequantur:
Me virtus tamen illa singularis,
Atq; illi ingenui probiq; mores,
Quorum in te videor videre lumen,
Affecere, ita & acriter mouendo
Me adiunxere tibi, vt; velut corusci
Ignis territus impetu minaci,
Te vnum suspiciam, & libenter vnum
Te colam, atq; feram in meis ocellis.
Quare affectus amore singulari
Erga te ex ea opinione sola,
Quam de moribus aureis, tuaq;
Virtute ipse habui vnica, ac suprema,
Iampridem hoc volui atq; concupiui,

Vt occasio qualibet daretur,
Qua possem tibi caterisq; amicis
Tuis omnibus indicare apertè,
Quanti te faciam, tibiq; quantum
Honoris tribuam loquens tacensq;.
Quòd si id nunc ego forsitan peregi
MARI, qui aßiduè tibi occupato
In rerum studio reconditarum
Ausus sum obstrepere, his merisq; nugis
Testatam facere hanc mei perennem
Voluntatem animi, & nimis flagrantem:
Comitatis erit tuæ profectò,
Quæ sese omnibus vndiq; indicauit,
Hæc munuscula non putare parui,
Sed fronte accipere (vt reor) serena.

Ad se ipsum.

MIser Petre quid amplius moraris
Omnes abijcere & putare parui
Tuas litterulas politiores?
Quid iam in exilium malasq; in oras
Cessas mittere quicquid est librorum?
Nos non vnius æstimamur aßis:
Nos iocum putat esse iniqua turba
Indoctorum hominum atque inelegantum:
Et quærunt alij mihi impudenter
Certare, vt iuuenum venustiorum
Saltem hoc nomine gratiam aucupentur.

O & Græca volumina, & Latina,
O & Pierides meæ valete:
Libelli aureoli valete, vobis
Mecum sit nihil amplius negoci:
Vobis nuncio plurimam salutem.
Nunc quæso procul hinc abite, & omnes
Migrate ad iuuenes magis politos,
Qui sua eximia eruditione
Doctorum in numero uolunt haberi,
Vosq́; percupidè & laboriosè
Conantur legere atq; deuorare:
O uiri studiosi, & elegantes.

LVSVS IN RIVALEM

Molles versiculi Catulliani,
Et dulces simul, & simul venusti,
Apti ad turpia facta prædicanda,
Vos vbi immeritò quis incitarit:
Si vos à puero legens amaui,
Vosq́; sum meritò professus esse
Meas delicias, meos amores:
Adsitis modò quotquot estis omnes,
Nec vos iam pigeat proteruiores
Esse, atq; horribiles vibrare iambos:
Nam læsa patientia furoris
Impetus parat excitare rixas.
O factum miserabile atq; acerbum,
Nec vlla ratione perferendum.

Molles versiculi, venusti, & acres,
Vestram omnes operam mihi necesse est
Praestet is modo promptè & expeditè:
Vt, qui hoc tempore vos lacessit vltrò,
Et me tàm malè perdidit misellum,
Vestros sentiat ille criminosos
Ictus horribiles, magisq; amaros
Felle, absinthio, & omnibus venenis.
Amabam miser impotente amore
Erillam lepidissimam puellam:
Hanc ego, vt magis in dies magisq;
Amorem ingenuum meum probarem,
Numquam non volui benignè, amanter
Summis officijs meis iuuare.
Pro illa maxima bella saepe in vrbe
Pugnaui, & studium meum libenter
Ei detuli in omnibus periclis.
Sed iam cùm placidè ac nimis beatè
Illius fruerer lepore dulci,
Ecce multiuolus voraxq; adulter,
Dira pernicies puellularum,
Subrepit mihi, gaudijsq; nostris
Inuidet malus, arrogans, sacerq;:
Quaeritq;, insidias mihi instruendo,
Clàm sibi eripere hos meos amores.
Is tandem egregio suo lepore,
Suaq; eximia dicacitate
Subduxit mihi candidam puellam,
Me nec vnius aestimauit assis.

Quodq; durius, atq; non ferendum,
Iactat se balathro, & renidet usq;
Amouisse mihi hos meos amores,
Amores lepidos & elegantes.
Molles versiculi, venusti, & acres,
Quis sit, quaritis, hic vorax adulter?
Ille, quem aßiduè perambulare
Videtis sacra lustra ganeasq;,
Quærentem omnia bella deuorare.
Homo est stultus, ineptus, impudensq;,
Indoctus simul atq; ineruditus:
Quamuis se facit esse litteratum,
Vt vanus nebulo, & malus poëta.
Vos ne ergo facinus scelusq; turpe
Huius carnificis pati potestis?
Non, non helluo virginum bonarum
Impunè hoc scelus obtinebit vmquam.
Insectemur eum, & molestiores
Configamus aculeis, vt ipsum
Facti pœniteat sui nefandi.
O vita nebulo inquinatiore.
O morbosior improbis cinædis?
Quæ te dira libido, quæ scelesta
Aut effrana fames, sitisue adurens
Egit præcipitem in meos amores?
Quid feci tibi, quid ue sum locutus
Cur nostro capiti dolos parares,
Et me tàm miserè necare velles?
Non pili facis? a perenne saecli

Huius

Huius opprobrium, o lutum, o popini
Turpis, putide, inepte, inerudite.
Si quæram euomere incitatus ipse
Quicquid me acriter vrit immerentem
Tuam ob sæuitiam libidinemq́;:
Tantam apud populum tibi misello
Conflabo inuidiam meis iambis;
Et tantum stomachum tibi mouebo,
Vt multò melius putes fuisse,
Te quiduis aliud scelus parare,
Quàm me lædere tàm malè & dolosè.
Molles versiculi, venusti, & acres
Appellate iterum hunc salacem asellum,
Morbosum tamen, at magis proterui.
O setosior hirco olente & vrsis,
O nequissime, & omnium virorum
Perditissime ganeo impudice,
Téne tàm malè percitum furore,
Et tanta rabie fuisse motum,
Vt nostram lepidissimam puellam
Vecors expeteres, & impudenter?
Ten' nihil potuisse ab hoc nefando
Nuper flagitio auocare quicquam?
At tu dure, & inique, nobilisq́;
Multis iam opprobrijs per ora vulgi,
Dicta hæc nil metuis, nihil moueris
Nostris hendecasyllabis molestis.
Vale ergo nebulo, & bonis paratis
Vtere, vt lubet, at sinistro Amore;

Nec multùm Venere auſpicaciore.
Iam me non mouet impudica Erilla,
Quæ fuit leuior parùmq; fida.
Omnis feruidus ille amor refugit,
Et ſua cecidit repentè culpa.
Sed tu peßime vir cauebis illud,
Ne noſtrum caput amplius laceſſas
Tuis inſidijs libidinoſis.
Si parauero mi nouos amores,
Abſtineto manus: probroſiore
Nam te ſupplicio remunerabor.

AD SODALES DE ACCESSV Syluiæ Picæ puellæ ad villam.

QVid eſt ô lepidi mei ſodales,
Quòd, quà flumine molli ad occidentē
Solem diſſecat arua noſtra Tybris,
Die hac plus ſolito niteſcit aër,
Et Phœbus tremulum iubar vibrando,
Fulgore & liquido irrigando cœlum,
Terras candidiore luce veſtit?
Quid eſt, quòd Zephiri tepentis aura
Spirat mollius, inſtrepensq; denſis
Arborum folijs ſuſurrat illic
Leni murmure? cur canunt volucres
Paßim per virides comas vagantes
Tenui gutture dulciùs, nemuſque

Et fontes, fluuium, lacusq; complent
Concentu vario, nimisq; blando?
Quid, quòd plus solito benigna tellus
Ridet, lætificos & ipsa flores
Dias luminis efferens in oras
Spirat ambrosiam, syrosq; odores?
Quid, quòd lenius & fluit per agros
Hetruscos taciturnus amnis, atq;
Lymphis lucidulis nitens sub vndis
Ostentat tacitos, vagosq; pisces?
Quid, quòd omnia læta, ibiq; fulgor
Nunc se tollit ad astra, & alma tellus
Fuso lumine tota iam renidet?
Petiuit ne mea illa amœna rura
Formosissima Pica, cui Cupido,
Cui Cypris fauet, & fauent Amores,
Et Ioci, & Charites, Minerua, & ipse
Apollo, Aonidumq; docta turba?
Sic certe est. igitur bona puellæ,
Et quæ flosculus est puellularum;
Accessu amnis, & aura, aues, & aër
Tellusq; omnimodis repentè gaudet,
Gaudet villula, gaudet ipse agellus,
Rident omnia & omnibus cachinnis.
Quin Gnido Venus ipsa iam relicta,
Relictis Charites procul Cytheris
Formosam petiere, floridamque
Villullam; hanc Amor, hanc colit Cupido:
Hanc blandus Iocus, hanc amat Voluptas;

O felix nimis, & nimis beata
Villa? ò pulcher agelle, ocelle agrorum,
Quàm felix es et ipse, quàm beatus?
Quanta gaudia, quot bona hac serena
Venerunt tibi luce. iam profectò
Concedant tibi tempe, & illi amœni
Colles Arcadiæ, quies domusque
Pulchrarum Dryadumq;, Oreadumque.
Felices domina colente campi,
Felices domina tenente fundi,
O felix obeunte rus puella.
Méne ergo miserum manere in Vrbe,
Dum villæ retinent meam puellam,
Dum Iocis comitata, Gratijsque
Agros incolit, atq; agris choreas
Ducit Cypria pulchra, dumq; in agris
Ludit delicias licentiores?
Certum est ad nitidum volare agellum;
Certum est perfacilem viam vorare.
Iam discedere gestio, iam auet mens
Migrare ad bona rura: quare amici,
Qui mentem geritis venustiorem,
Si nostri modò tangit vlla cura
Vos, quicquam & miseret mei miselli,
Rus vnà properemus ad puellam.

AD

AD ROBERTVM TITIVM.

O Factum male care amice de te:
Nunc tui miserebor ò miselle:
Casus est miserabilis profectò.
Nam virgo illa venusta, virgo amata
Illa abs te, illa pudica virgo, quam tu
Vnam iam coluisti, & vnam amasti,
Et vnam celebrasti in vrbe nostra,
Non est amplius o Titille virgo,
Non innupta puella, sed marito
Iuncta iam, & mulier repentè facta.
Illam, vt tu patriam diu absuturus
Liquisti latium petens & vrbem,
A fletu viduulam, & nihil ferentem
Iam desiderium tui, propinqui
Marito statuere copulandam.
Quodq; acerbius est amariusq;,
Iam mollem, teneram, atq; delicatam
Puellam stupido seni locarunt,
Nec apto thalamis propinqui auari.
Ac sic perniciem grauemq; pestem,
Dum malo nimiùm student lucello,
Tulere immeritò bonæ puellæ.
Puella ò misera, ò misella nupta
Vt te nec validus, nec ore gratus
Affliget thalamo senex maritus?
Vt sæpe hunc iuuenem puella carum

Votis in tenerum sinum vocabis?
At tu flebilibus modum querelis
Pone care Titille, nupta virgo
Si suspiria lacrymasq; amaras
Iam fortè elicuit tibi dolenti:
De te cogitat illa semper vno,
Te vnum somniat illa semper, ex te
Toto pectore pendet illa solùm,
Et soli tibi iam placere vellet.

AD BERNARDVM PICVM, ET Malateſtam Tanum.

O Celli iuuenum venuſtiorum,
Idemq; omnibus è meis amicis
Iucundiſsimi amici, ab vſq; prima
Aetate ob geminos ſimillimosq;
Mores, & ſtudia ipſa litterarum
Mecum iuncti, & amore copulati
Aeterno: ò mihi ſi venire ad vrbem,
Quam vos incolitis beati vtriq;,
Liceret modò, dum caniculari
Aeſtu Sol furit hic, nec eſſe Romæ
Tutum eſt; ſi placido tepore veris
Perfrui in patria ſalubriore:
Si poſſem alloquijs adeſſe veſtris,
Veſtrasq, ædiculas adire, & vnà
Nunc conferre iocos facetiasq;
Nunc ludos teneros ſequi per vmbram,

Nunc conuiuia lauta comparare,
Nunc sanctæ Veneri cupidiniq;
Indulgere per vrbem, & æstuosas
Curas fallere, feruidosq; soles:
Quàm felix ego, quàm beatus essem?
Quam par & superis forem Deorum?
Verùm dura necessitas repugnat;
Mineruæ & studium, immo quæstuosa
Ac longa artis Apollinis, me in vrbe
Inuitum retinet tumultuosa:
Et cogit miserum modò huc, modò illuc
Cursitare per æstum, & æstuantem
Aegros visere, vel potentiorum
Limen deterere, atq; adire reges.
At vos ò iuuenes beatiores
Qui tot commoda, dum furit proteruum
Sydus, percipitis salubri in vrbe,
Si salus mihi vestra suauitati est,
Nunc mei miserescite, & rogate
Deos, vt faciles, pÿ, ac benigni
Fortunent mihi vota, quò beatus
Ad lares patrios redire possim.

AD FRANCISCVM CESCARINVM

QVas ad me modò litteras dedisti
Francisce optime, & omnium virorum
Humanissime, ea mihi fuerunt
Tàm grata, vt relegens frequenter illas

Et noctes repetens diesq; mecum,
Visus sim benè viuere ac beatè.
Idq; non ideò, quòd in me amorem
Tuum incredibilem atq; singularem
Perspexi facilè ex eis, bonamq;
Voluntatem animi mei iuuandi;
Qua tamen nihil hercle quicquam est,
Quod viri magis expetant vel optent;
Scibam quandoquidem te eos solere
Pro tua bonitate amare, & omni
Complecti studio, perennibusq;
Iuuare officijs, quibus nec esset
A Musis aliena mens, nec vllo
Infecta aut vitio, artibusúe prauis:
Sed quòd iudicium tuum politum
De me, ac de exiguis meis libellis,
Cognoui ingenuèq; liberèq;
Abs te mi expositum. hoc enim ipse tanti
Feci, vt, cùm tenues meos labores
Putē esse aliquid, maliq; prorsus
Non abs te modò iudicentur ipsi,
Assenter mihi ineptè, & esse sæpè
Non nihil videar, licet probè iam
Ipse me satis, optimeq́; norim.
Scripta abs te mea sic probari, vt ipsa
Nunciant mihi literæ, profectò
Lætor magnopere, intimoq; sensu
Cordis gaudeo: quiq; laudis vllo
Non ducor studio, tamen supremis

Abs te laudibus affici, voluptas
Mihi est maxima, gratiusq; quicquam
Non pote accidere, aut magis cupitum.
Non tàm enim moueor probatione
Ipsa, quàm fide & integri & probati
Viri, maximè & omnium affluentis
Laude perpetua eruditionis.
O' felix mea Musa? & ò beati
Libelli? benè doctus, optimusq;
Si vir vos satis & super probauit,
Probabunt alij quoq;, & tacebunt
Mordaces Critici: manebitisq;
(Si fas dicere) plurimos in annos.
Hoc ergo mihi gratulor diserte
Cescarine, & ob id tibi supremas
Gratias ago: debeoq; quantum
Alteri pote debuisse quenquam est.
Tu verò vt videas probeq; noscas,
Non falsam penitus te opinionem
De me nunc animo imbibisse, magno
Conatu efficiam, atq; diligenter.

AD PETRVM GAMBERELLVM

QVid nam tàm indomitos & impotentes
Erga te igniculos amoris in me
Accendit modò Gamberelle? quidnam
Fecit, vt tibi deditus, tuoq;
Addictus studio, velim iuuare

Omni te ratione in excolendo
Doctrina ingenio elegantiore?
Quid me corripuit? quid excitauit
Ad te plus oculis meis amandum?
An morum probitas, quam & ipse cœtus
Doctorum iuuenum in te amat, stupensq;
Admiratur? an vnica & suprema
Virtus ingenij perelegantis?
An certè simul hac, & illa, queis te
Ornauit pariter benigna mater
Natura à puero, perenne vt esses
Exemplar probitatis, atq; imago
Virtutis, sapientiaq; forma?
Sed quicquid fuit id, quod impotentem
Pellexit me in amorem, & applicauit
Me tibi: peto, non vt ipse amanti
Mutuum tribuas amorem, inesse
In me cùm videas nihil, quod vllo
Vllius sit amore dignum: at hercle
Tantùm, vt iam patiare te à me amari
Eo maximo amore, quo tu amandus
Es propter faciles probosq; mores,
Et summum ingenium atq; singulare.

AD IVLIVM FOLLIVM de rus profectis.

HEri ad dulcia rura Trebbiana
Nos cùm contulimus calente sole;

ibi

Ibi cùm teneros meos amores,
Et cùm dulciculos tuos lepores,
Defessos nimio labore & æstu,
Vidimus viridi iacere in herba
Ante vestibulum domus nitentis;
Et molli requie simul fruentes
Miscere illecebras, iocos, cachinnos,
Sales, delitias, facetiasq;
Inter se; modo petulos ocellos
In nos conijcere, & tueri amantes
Fixis luminibus; modo elegantes
Tingere ingenuo pudore malas:
Dic dulcißime amice, dic amator,
Quæ tum gaudia, quæ fuit voluptas
Nobis? non ter, & amplius beati?
Non Dijs fuimus pares supremis?
Iidem cùm ad cytharam modosq; dulces
Duximus Charitum leues choreas
Molli in gramine cum bonis puellis;
Et nunc ad numeros simul canendo,
Nunc & mutua per iocum atq; ludum
Reddendo, in nitido & feraci agello
Læti condidimus diem serenam;
Mox post ludicra, mutuosq; cantus,
Post factam breuem inambulationem
Cùm excepti fuimus libenter ipso
A ruris domino, & parata nobis
Cœna non sine candidis puellis,
Et ioco, & sale, & omnibus cachinnis;

Cùm inspexit mea lux suis ocellis
Me inter pocula sæpe, cùm tua & lux
Flagrantes oculos tuos amore
Furtim lumine fixiore vidit;
Cùm illarum ex facie nitente, & ipso
Pulchro pectore, gemmeis papillis
Ignes perplacidos vibrauit in nos
Et mitis Venus, & tener Cupido,
Et cursans Amor huc, & huc, & illuc:
Dic dulcissime amice, dic amator,
Quæ mens tum tibi? quæ mihi? aut voluptas?
Quis tum vllos homines beatiores
Vidit? non tibi nos fuisse visi
Vni ex cœlicolis sumus beatis?
Et cùm post epulas ruente nocte
In vrbem properauimus redire;
Cùm cantu & fidibus viam leuarunt,
Sermone & vario bonæ puellæ;
Nosq; inter teneros iocos, salesq;,
Inter murmura, garrulasq; voces
Ludos miscuimus venustiores:
Dic dulcissime amice, dic amator,
Quis tum lætitia, & beatitate
Ipsa nos superauit? an'ne credis
Inuidisse etiam deos deasq;
Omnes (si licet hoc referre) nobis?
O lux candida, quæ tot attulisti
Nobis gaudia floridis in agris,
Sæpe ad nos redeas bono hoc in anno,

Nec mora nimiaq; tarditate
Perdas lætitiam expetitam amantum.

AD FLAMINIVM NOBILIVM.

ETsi illud video mihi esse iure
Latandum bone Nobili ac diserte,
Quòd hoc tempore tàm graui atq; duro
Ea occasio se dedit petendi
Romam, Vrbem celeberrimam ac beatam,
Vt sperem benè rem meam deorum
Illic auxilio esse me haud inertem
Gesturum: tamen explicare sensus
Si cordis volo, quòd tuos videre
Et vultus hilares, tuisq; doctis
Iis sermonibus interesse, quos tu
In magno iuuenum virumq; cœtu
De re multiplici soles habere
Explanans sapientum operta dicta,
Non mihi cupido amplius licebit,
Tàm valde doleo feroq; acerbè,
Illa vt gaudia diluantur ipsa
Hacce tristitia & perenne luctu,
Nec sciam satis ipse, quid iam agendum
Sit mihi, paro dum profectionem.
Quid ergo misero tuo sodali
Qui te non minus ac suos ocellos
Amat, quicquid & ipse consecutus
Est rerum in studio reconditarum,

Acceptum id tibi nunc refert magistro,
Suades? an modo de reuersione
Ipse vt cogitet, & petat quod illi
Non Magni abnueret Ducis voluntas?
An vt, consilio docendi in ista
Vrbe abiecto, vbi maximo labore
Se se conficiunt viri eruditi;
Et cura vigiliq; habendi amore
Senescunt, alias vias parandæ
Quærat gloriolæ pecuniæq;?
Tu, qui lætitiam ex bonis amici
Soles percipere, & perinde gaudes
Eius vtilitate gloriaq;
Ac tua propria, mihi quid ipsi
Præscribas, video: potentem ad Vrbem
Nempe vt tendere pergam, & anteferrè
Velim mœnia Romuli vetustis
Senis, quæ miserè enecare possent
Mesitiq; fameq;, & àuocarent
A vita placida atq; perquieta.
Verùm tu, nisi vis procul remotum
Me desiderio tui atq; amore
Contabescere, pergrauem hunc dolorem
Curabis releuare prouocatus
Crebris litterulis tuis politis.
Quamquàm te scio semper occupatum
Ita esse in lepidis nouis libellis
Scribendis, sapientia & docenda,
Vt vix ipse queas domi forisùe
Respirare quiete perfruendo.

AD IVLIVM FOLLIVM.

IN te dum intueor venuste Folli,
Dumq; de ingenio tuo eleganti,
De summa & varia eruditione,
De rara probitate suauibusq;
Sæpe cogito moribus: voluptas
Tàm magna accidit ac fluit repentè
Ad mentem atq; animum meum, vt beatum
Et felix videar nimis fuisse,
Quòd me contulerim ad tuam expetendam
Valde amicitiam, ipseq; haud grauatè
Me receperis, atq; prædicaris
Te me diligere, atq; amare multùm.
Verùm cùm idem ego cogitatione
Verto me ad tua plurima atq; magna
In me promerita; & recordor, ipse
Quàm propenso animo, & quàm amanter in me
Semper contuleris domi forisq;
Omnia officia, vt perennis esset
Inter nos amor; intimis medullis
Tàm magnum capio dolorem, acerbam
Vt vitam esse mihi putem, quia vllo
Numquam munere te remunerarim.
Cùm ergo huiuscemodi dolore Folli
Noctes conficerer miser diesq;
Ne ingratæ arguerer malæq; mentis,
Non dico à te, homine & probo & modesto,

Verùm ab ijs, aliena qui requirunt:
Pro multis studijs perennibusq;
Tuis officys, tibi quæ amantem
Me obstrinxere, rudes & impolitos
Hos scripsi numeros tibi, & dicaui:
Vt tu hinc perspiceres quoq; & videres
Me nec immemorem esse gratiarum,
Et semper voluisse eas referre,
Sed culpa ingenij impeditum, & ipsa
Magnitudine gratiarum, abundè
Cuiquam soluere debitum nequisse.

AD FABIVM BENEVOLENTIVM

NI iam gloria summa perspicacis,
Cultiq; ingeny tui ac subacti
Me induxisset, amore singulari
Vt te prosequerer, simulque multa
De te honorificeq; prædicarem:
Vel ipsa integritas tua, atque mores,
Quos noui, facilesq; candidiq;
Hoc id temporis hercle præstitissent.
Nam quis Aonidumq; Apollinisq;
Cultor integrior suauiorq;
Est te? quis studiosior iuuandi
Amici officio ac benignitate?
Sed propter varias perelegantis
Dotes ingenij antea te amabam
Singulariter ipse, & omni honore

At cultu studioq; prosequebar:
Nunc autem, quia nouerim probumq;
Te blandumq; virum, ex meo in te amore
Et cultu capio satis profectò
Magnam lætitiamq; gaudiumq;.
Quòd si ego, ò decus vnicum Mineruæ,
Imago & probitatis, haud peregi
Hoc adhuc, vt amor meus supremus
Erga te, & studium flagrans & acre
Non vulgari aliquo tibi paterent
Leuiq; officio: velim, retuso
Si non ingenio meo rudiq;,
Id, saltem tribuas pudori, & vni
Timori ingenuo, modestiæq;
Meæ. Quam modo me expulisse vt omnem
Vides, dum illepidos malosq; versus
Tibi concino ineptus, insolensq;:
Sic velim accipias eos amicè,
Ac vt pignus & obsidem perennem
Obseruantiæ, honoris, atq; cultus,
Quo te prosequor, atq; prosecutus
Fui, illos habeas; meiq; amoris
Ne sis immemor ipse, dum licebit.

AD FVLGENTIVM LVSVS.

Fulgenti pater omnium leporum,
Idemq; ingenio scientiaq;
Præstans non sine castitate linguæ,

Nostri

Nostri gymnasij decus perenne:
Per tuam sapientiam disertam,
Per miram grauitatem, & eruditis
Dignam Socratibus Platonibusq;,
Perq; Aristotelis tui libellos
Te oramus iuuenes tuiq; amantes,
Laudiq; egregiè tuæ fauentes,
Dicas ex animo, & licenter edas,
Quid causæ sit, ad ipsa cur venire
Nolis colloquia instituta, vt antè
Solebas facere, & tuum requiri
Sinas officium obstinatus, atq;
Nil cedens precibus virum bonorum.
An quòd non satis integro & valenti
Constans corpore ob arduos labores,
Congressus metuis laboriosos?
Et cœli nimium fugis furorem,
Timens immodicum horridumq; frigus
Ex sudore, malam grauedinemq;,
Aut casus alios periculorum?
An quòd nunc animo ferens iniquo
Riualem iuuenem tibi propinquum,
Curam hanc non aliter potes leuare,
Quæ sanè est grauis atq; permolesta?
Sic certè est: satis indicat, quòd omnes
Conatus iuuenis bonas ad artes
Quæris frangere, nec malè, aut ineptè,
Quem prius tamen ipse valde amasti,
Fouistiq; lubens, nec immerentem.

Verùm.

Verùm, si quid agis, statim venito:
Oramus venias, ferasq; tecum
Conditas sale collocutiones,
Et doctas simul, & benè eruditas,
Ista ætate graui, tuoq; dignas
Tanto nomine maximaq; fama:
Quarum vi reprimas furorem eorum,
Qui stultè cupiunt periclitari
Vires ingenij sui tuiq;
In congressibus, & volunt miselli
Nullo cum suo honore gloriaq;
Hinc decedere victi, & obstrepente
Deludi iuuenum virumq; cœtu:
Nam primas hodie tibi eruditi
Deferunt homines in explicandis
Naturæ latebris sagacioris,
Et libris veterum tenebricosis:
Nec subtilis in arte disserendi
Quisquam te magis, aut magis paratus
Ad perdifficiles grauesq; nodos
Soluendos, variasq; quæstiones.
Ergo rumpe moras, precesq; nostras
Oramus, caue despuas magister:
Nam tua iam opera, tuoq; factu
Doctis colloquijs diu caremus.

AD VINCENTIVM Melioratum.

Vincenti iuuenum decus bonorum,
Idemq; artibus expolite cunctis,
Quæ laudem pariunt viris supremam:
Dic oro, mihi num renunciauit
Verè de tuo honore, gloriaq;
Collecta ex studijs labore, frater,
Qui sodalitio tuo beato
Illic perfruitur, colitq; sedes
Tecum munifici optimiq; regis?
Hæc si sunt mihi nunciata verè
A fratre vnanimi meo, o beatum
Tuum Pierium, suis ocellis
Qui te plus amat: o beata mater,
O & patria ter quaterq; felix.
Nunc famam veteremq; dignitatem
Amissam reparabit illa, & astris
Tuo nomine clarior nitescet.
Nunc tu quod patris eruditi acerbo
Fecere interitu politiores
Damnum litteræ, & optima Camænæ,
Doctrina celebri tua profunda
Compensabis, & artibus disertis.
Felix Burgopolis, beata tellus;
Quæ tot lumina clara litterarum
E tantis tenebris bono hoc in anno;

Et

Et post tot iuuenum sinistra fata
Extulisti, & adducta honore summo
Præstinxisti alias nitente luce.
A tu, macte animi noua & perenni
Virtute ò iuuenis, bonos libellos
Perge euoluere, & elegantiores
Musas excole, quæ tuum, tuaque
Gentis, & patriæ, meumque nomen,
Dum canunt numeris lyraque, sæclis
Non ullis patiantur interire

AD IOANNEM PETRVM Giampierium.

TV me iudicio tuo beasti,
Qui in lucem mea digna quæ efferantur
Censes carmina; si modo tributum est
Abs te iudice veritati in hac re
Plus quàm amicitiæ. Sed audi amice,
Quæ me gloria, quodque me sequetur
Crimen ex tenui nouo libello
Diuulgato, eadem sequetur olim
Et te gloria certè, idemque crimen.
Nam volo hoc homines sciant diserti,
Qui fortè hunc vacui legent libellum,
Me tantummodo flagitatione
Tua nunc opus edidisse paruum,
Roganti & tibi sæpe maluisse
Indulgere, meo quàm honori, & ipsi
Famæ prospicere. hoc ego eruditis

Compertum

Compertum esse volens, poëma feci
Hoc tibi, & tenui nouo libello
Edendo inserui venuste amice.

AD IOAN. BAPTISTAM Picum.

CVM longo spatio reuersus ipse
Ad vrbem, veterem tuum sodalem
Vidisti bone Pice, quem probata
Et virtus tua, cognitiq; mores
Integri facilesq; abhinc tot annos
Adiunxere tibi perenne in æuum:
Dic oro, tibi quæ fuit voluptas?
Aut quæ gaudia? forsitan ne tanta,
Quanta in colloquio mihi accidere
Primo, cum faciem tuens amatam
Fixis luminibus, tuam salutem
De te sæpius ipse sciscitabar?
Si tum gaudia tanta amice care,
Vt testes animi tuiq; amoris,
Cœpisti: ò nimium tuum sodalem
Beatum, redamari ab erudito,
Et probo iuuene, omniumq; digno
Hercle amicitia virum bonorum,
Qui sese videt. Amplius potentum
Non libet mihi gratiam aucupari:
Dum tu Pice in amore perseueres,
Falsos despicio Midarum amores.

DE LAELIO TAVRELLIO Iurisconsulto Clarissimo.

DEscende cœlo facta virum inclyta
Pimplea sollers tollere laudibus:
Mecumq́; Parnaßi sub antro
Quære modos grauiore plectro.
Dic, vt recenti mens studio vigens
Prægestit alti condita pectoris
Proferre, virtutesq́; summas
Laude viri celebrare digni.
O grande lumen iuris, & vnica
Spes consulentis Principis optimi
LAELI, perennem cui parauit
Rara fides probitasq́; famam:
Me molli in vmbra Castaliæ iuuat
Mandare laudes carminibus tuas:
Et candidam mentem, tuosq́;
Perfaciles iterare mores.
Vim singularem me iuuat ingeni
Efferre cœli ad lucida sidera,
Et pectus instructum decoris
Artibus, & studijs politum.
Tu integritate & iudicio enitens,
Tu edoctus vsu, tu sapientia
Præstans, potentis sceptra COSMI
Imperij regis vnus ampli.
Te Dux beatus prætulit omnibus:

Tibi ille sensus credit & intimos,
Te maxime expertus fidelem
Intrepidis dubysq; rebus.
Tu lene consilium impiger arduis
De rebus affers, unde pericula
Vitentur: & pulso timore
Quisque tuas veneratur artes.
Tu es cautus urbes fortis Hetruriæ
Ornare sanctis legibus & bonis:
Ultraq; præscriptum vagantes
Iure tenes metuente solui.
Tu, cùm clientum longa negocia
Diiudicatis litibus expedis,
Rectum tueris, sontiumq;
Dona fugas oculo irretorto.
Te quisque mitem, te facilem videt,
Uteunq; sedis limina deterit:
Digneq; rerum te potentem
Assiduè precibus fatigat.
Tu, cùm labores fallere maximos,
Quærisq; paullum seria mitibus
Mutare, iam curis peresus
Pierio recrearis antro.
Tu litterarum deditus ocio,
Illos tuendos suscipis, in quibus
Virtutis elucet supremæ
Lumen, & ingeny subacti.
Te auctore claro, te duce nobili
Florescit almum gymnasium in dies;

Omnesq;

Omnesq́; iamdudum iacentes
Non sine Dijs reuocantur artes.
Nostræ supremos o vtinam dies
Poßint morari vir tibi maxime
Preces, & hic longum per æuum
Te Superi patiantur esse.

AD THOMAM CORNACHINVM

ARtis ò cultor medicæ, scienter
Qui soles morbos hominum proteruos
Pellere, & multos reuocare ad auras
Pœnè sepultos:
Sic tuis Phœbus genitusq́; Phœbo
Annuant votis, faueantq́; cœptis:
Et tibi nostrum tribuant in vsum
Nestoris annos:
Subueni quæso misero sodali:
Sume nunc herbas liquidosq́; succos,
Quicquid & fessos refouere poßit
Coporis artus.
Aut tuis Phœbum genitumq́; Phœbo
Versibus mulce, precibusq́; blandis,
Ne sinant tristi miserum sodalem
Tabe perire.
Nunc enim immitis scabies & acris
Occupat nostrum perimitq́; corpus:
Et furens pestem minitatur atram,
Perniciemq́.

Nanq; subrepens, velut ignis ardens,
Pascitur furtim teneras medullas,
Semper & noctes cruciat diesq;
Languida membra.
Nec cibus suauis potis est iuuare
Corpus affectum nimio dolore:
Nec sopor vincit teneros ocellos
Arctior vmquam.
Hac ego infesta rabie perejus
Cogor inuitus studia hac fugare
Mente de tota, Sophiaq; dulces
Linquere fontes.

AD FRANCISCVM Mugghionium.

PAter leporum, & omnium elegantium
Virorum ocelle, & omnium
Sodalium uostrorum amabilissime,
Nostri & voluptas vnica;
Idemq; perpolite liberalibus
Et peruetustis artibus:
Quid hoc furoris est, quis ardor maximus
Hic, qui repente confluit
In me, atq; serpens per meas medullulas,
Omnes perurit intimas?
Vnde aestus hic & cura feruentissima,
Quae me insolenter occupat,
Somnumq; dulcem hac nocte ocellis auferens,

Molli in cubili languidum
Obseruat, atq; corpus hoc miserrimè
Fessum labore conficit?
An nuper excitauit acres flammulas
Mihi puella candida,
Puella delicata, & ores florido
Nitens, amorq; Cypriæ?
Et, antè nullis ignibus Cupidinis
Contactus, hocce tempore
Acerbius peruror & crudelius,
Cacoq; amore fluctuo?
An fortè liberalibus facetijs
Tuis, & illo amabili
Lepore, moribusq; iucundissimis
Magis magisq; ego indies
Incendor, & te semper vnum somnio,
Vnoq; de te cogito?
Sic est profectò. nam tua suauissima
Festiuitate, & blandulis
Sermonibus percussus ipse, gestio
Tibi venusta carmina
Conscribere, atq; laudibus perennibus
Te celsa in astra tollere.
Sed, hoc furenti concitatus spiritu,
Dum ad molle carmen inuoco
Musas benignas, illa opem nec afferunt
Mihi, vt solebant antea:
Sensi, relictis sedibus biuerticis
Parnassi, & antris Thespiæ

Rupis, migrasse eas in ima pectora
Tydidæ honesti pupuli,
Qui nunc lepore versuum dulcissimo
Canit iocosa & seria,
Teq; impotenter & nimis crudeliter
Flammis trecentis vstulat.
Quare Dearum destitutus numine,
Laudes tuas componere
Non quiui amice candide, & vix peruinax
Hoc carmen inuenustulum,
Nec elocutionis vllo lumine
Interlitum, vt cupiueram,
Feci, tibiq; nunc libenter offero,
Precorq; ne illud respuas.
Vale interim, & me semper ipsum diligas
Pater leporum, & omnium
Sodalium nostrorum amabilissime,
Nostri & voluptas vnica.

De Tydide puero dormiente.

ἁπαλὸν δέμας τυδείδου
παρ' ἀνήλιον τὸ δένδρον,
χλοερῶν θ' ὕπερθε φύλλων.
μαλακωτάτως ἔκειτο,
βεβαρημένον παρ' ὕπνου.
ὀνόρῶσα ἡ Κυθήρη,

παρὰ τῷ δὲ καὶ δραμοῦσα,
κροτάφους καλοὺς ἐπῄνει
ἐρατὴν δάφνην θέλοντας,
ῥοδινάς τε τὰς παρειὰς,
ἐλεφαντίνας τε χεῖρας,
τὸ δὲ χεῖλος ἤδεν αὐτοῦ
ἐρυθρότερον οἷα πειθοῦς
ὃ φιλεῖν ἐρῶσα συχνῶς
τεθάῤῥηκεν Κυθήρη.
ὁ δὲ παῖς ὄναρ φοβηθεὶς,
ἀνέωξεν εὐθὺ βλέμμα
χαρίεν τε, καὶ πυρῶδες,
φαεινοῖς δ' ἀκτῖσι θάλπει
ὅλον ἧπαρ Ἀφροδίτης.
πεπυρωμένη δ' ἐκείνη
ἅμα καὶ ἀναστενάζει,
ἅμα καὶ βοῶσα φησὶ.
βρέφος ὦ, βρέφος τί δή μοι
προτέρους πόνους ἐγείρεις,
χαλεπώτερος παρών μοι
κρατεροῦ τυδέος υἱοῦ;
ὅγε γὰρ μόνον μάχαιρα
ἔμ' ἔτυψε; καὶ ἄνοπλον.
σὺ δὲ νῦν βέλεμνα βάλλεις,
χ' ἅμα λαμπάδας θεώδεις

ἐς ἐμὸν μέσον τὸ ἧπαρ
ἀπὸ βλεμμάτων πυρωδῶν·
ἐμὸς οὖν ὁ παῖρ ἅπαντας
ὁ γελῶν, ὁ παντορέκτης
φλογερὸν βέλεμνον ἦ σοι
παρέδωκεν, ἤγε μᾶλλον
ἐπὶ σοῖς ὄμμασι κεῖνος
χλιαρὸν γελῶν πτεροῦται·

Finis Lib. I.

PETRI GHERARDII BVRGENSIS CARMINVM LIBER SECVNDVS.

AD LAELIVM TAVRELLIVM I.C.

AD TIBERIM PRO HERCVLE CATTANAEO.

Hesperidum Tiberine pater regnator aquarum,
Qui Tusca obliquo flumine culta secas:
Sic sis perpetuò cœlo gratißimus amnis,
Decedatq́; tuis aurifer Hermus aquis:
Dum nouus Alcides forma pulcherrimus, atq;
Virtute, & summa nobilitate potens,
Sole sub ardenti egelidum contendit ad amnem
Sæpe tuum, & lymphis feruida membra rigat,
Adsis ò præsens, illumq́; arceto periclis,
Dum liquidam niueo pectore pellit aquam.
Nec te tum pigeat tumidos componere fluctus,
Immerito iuueni ne nocuisse queant.
Ergo ades ò Tiberine pater, dum mersus in vndis
Ipse tuis, æstus temperat amne graues.
Effice, neu frigus tenues subrepat in artus,
Neu lædat nimius corpora fessa calor.
Defendas humeris solem tenerisq́; lacertis,
Ne exurat, roseas inficiatq́; genas.

Vrantur potius sæuo mea membra calore,
Et noceat capiti cærula lympha meo.
Si vagus ille tuo fluuio se credit amœno,
Incolumem nobis nunc tueare precor.
Neu velis, ille lauit dum se fluitantibus vndis,
Ima tenens latebris occuluisse caput:
Quin potius, nitido lætus dum ludit in alueo,
Extabis placidus conspiciendus aquis,
Vt ne illum quisquam candore incensus eburno
Audeat è solo gurgite surripere.
Naïadum verò cautus defende rapinas:
Illa etenim iuuenes in vada cæca trahunt.
Pulcher Hylas, olim Alcidæ gratißima cura,
Naïadum fertur delituisse lacu,
Cum imprudens vitreum ad fontem accesßisset, & amẽs
Perstaret vanis ludere imaginibus.
At tu Tibri pater iuuenis tutela natantis
Si fueris, fraudes non timuisse decet.
Ne te igitur pigeat subuectum in fluminis ora
Prospicere insidias & prohibere malas.
Aut fac, ne exiliant Nimphæ de sedibus imis,
Dum iuuenis iactat brachia in amne tuo.
Annue: semper enim nostris celebrabere donis:
Cornigera dabimus munera larga manu.

Ad se ipsum.

QVi libros versare diu noctuq́; solebas,
Et cupidus studijs inuigilare bonis,
Quid miserè luxu fluis ignauißime Petre?

Otia

Otia cur sequeris perniciosa nimis?
Quid tu delicijs semper deuinctus adhæres,
Teq; tuosq; simul disperijsse sinis?
Artibus incumbunt alij studijsq; decoris:
Tu teneram ætatem desidiosus agis.
Aspice, vt ignauum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ.
Eia age nunc pigrum de pectore discute somnum,
Perpetuaq; alacris suscipe laudis opus.
Inducas animum duros superare labores,
Ne vita pigeat suppudeatq; tuæ.
Ante diem repetas Græca exemplaria linguæ:
Nec perstes molli membra fouere toro.
Si languent studia primo sub flore iuuentæ,
Non expectanda est gloria honosq; tibi.
Præmia nulla manent, quem tristis inertia tardat,
Quem iuuat & luxus dulcis, & aptus amor.
At qui præclara cupidè versatur in arte,
Hic numquam in tenebris delituisse potest:
Hunc & diuitiæ dulces fructusq; sequuntur,
Hunc omnes celebrant suspiciuntq; viri.
Quare te obfirmes animo, vt iuuenilia linquas
Gaudia, quæ multis multa tulere mala.
Sint procul, ebrietas, ludus, sopor, otia, rixæ,
Et quodcumq; mali est, quod parit asper amor.
Alma quies placeatq; tibi, studiumq; probetur,
Commoda dum Princeps donat habere bonus.
Exemplum ex alijs sumas, quos feruida cura
Discendi in cultis detinet vsq; libris.

Ea

Ex illis virtutem hauri, verumq; laborem:
Omneq; damnosum sperne sodalitium.
Vrge opus inceptum, nec te vmquam blanda volupt.
Seuocet in fraudem pelliciatq; malam.
Dum licet, hic Phœbumq; colas doctamq; Mineruam
Non intellecto nam fugit hora pede.
Hac, tibi qua canerem, nobis Deus edidit ore,
Qui cunctis pestem perniciemq; cauet.

DE SPINA PVELLA.

IGnipotens Vulcane pater Chalibumq; magister,
Et tu tardipedi Cypria nupta deo:
Quid causa est, flamas cur iam properetis Amori
Spiculaq; in nostrum conjcienda latus?
Non opus est illi flammis, queis vrat amantes,
Nec rigidis telis, quæ fera corda petant.
Sæuus Amor vestra confectas arte sagittas
Non iacit, ardentes deposuitq; faces.
Ille nouos calamos nuper sibi sumpsit, & ignes,
Hisq; feros potuit perdomuisse viros.
SPINA etenim miserum iam me confixit acuta,
SPINAQ; nunc stimulat mollia corda mihi.
Iam iam non solitis telis iaculatur amantes,
Sed SPINA hac, nostro qua modo nata solo est.
Ah crudelis Amor tenerum quid pectus amantum
Spinosis curis dilaniare cupis?
Quid ue tibi prodest semper noua bella parando
Immitis mortis mille aperire vias?

At te dure iuuat spinis mutasse sagittas,
Telaq́; Mulciberi facta labore dei:
Spinæ etenim grauius pungunt in pectore fixæ,
Vulneraq́; imponunt haud medicanda viris.
O hæc SPINA recens, duris quæ sentibus aucta
Iam mihi cor totum dilacerauit atrox;
Si illius quandoq; rosas decerpere possem,
Quàm iucunda mihi, quàm nec acerba foret!

AD VENEREM. PRO ROBERTO TITIO.

Sic te perpetuò celebrent Venus alma poëtæ
Versibus, & dominam te sibi quisq́; vocet:
Huc ades, & pulchro iuueni Dea sancta faueto,
Qui modò percupidus sub tua regna venit:
Huc ades, & quicquid iuuenis fortasse veretur,
Aufer: nam ingenuo fortè pudore timet.
Et quodcumq́; sibi cupiet, quodcumq; rogabit,
Annue; blanditijs vtere Diua tuis.
Ille tuum imperium, floret dum temporis ætas,
Non timet, & vinclis subdere colla parat.
Seruitium sed triste timet: nam fœmina fallax
Persæpe est iuueni difficilisq́; suo.
At si illum aspicias blando tu lumine, certè
Sæuitiam dominæ non timuisse decet.
Quare Diua faue, & iuuenem fortasse timentem
Illecebris primò sub tua signa voca:
Effice, ne frustrà casses tendantur amanti,

Neue

Neue vmquam Idalium deserat ille iugum.
Nunc etenim is poterit, latè tua signa ferendo,
Suaue tuum nomen concelebrare magis.
Solus enim est dignus, qui nunc mereatur amorem,
Quem Charites manibus composuere suis:
Solus, qui leuibus numeris tua gaudia cantet,
Solus, qui senis bella canat pedibus.
Saucius ille tui volitantis vulnere Amoris
Nunc calet, & domina carmina culta facit:
Carmina, quæ maneant semper: nam fertur Apollo
Artes hunc puerum perdocuisse suas.
Namq; illum blandè teneris eduxit ab annis,
Infantem semper continuitq; sinu.
Huic igitur pulchro iuueni Dea sancta faueto,
Dignior est nullus, cui bonus afflet Amor.
Sed si illi faueas, tacita quæ mente requirit,
Annue, nec ventos irrita ferre iube.
Anxius ille sibi non optat diuitis auri
Pondus, nec culti iugera magna soli:
Nec quoscunq; etiam lapides, gemmasq; nitentes
Colligit è rubris India diues aquis.
Ille cupit tacitus, ne se iam spernat amantem
Syluia, quæ est oculis bella puella suis:
Ille cupit, teneræ vt sint mutua vincla puellæ,
Seruiat & pariter Syluia pulchra tibi.
Hoc cupit ex animo, hoc est quod iam tectius optat,
Pro quo Diua tibi munera larga vouet.
Tunc se felicem dicet, nimiùmq; beatum,
Si domina de se mutuus adsit amor:

Namq;

Namq; diu vinclis religatus vterq; manebit,
Qua soluat posthac vna suprema dies.
Ergo Diua faue, totum se tradere Amori
Si puer hic quærit, dum sua vota probes.
Et iube, vt arcitenens dulcis tua cura Cupido
Accendat sæuas nunc, sua tela, faces:
Virginis vt duros animos, insuetaq; corda
Assiduè exagitans cingat amore pari:
Inspiretq; ferox, atq; ossibus implicet ignem,
Ignem, quem nulla stinguere possit aqua.
Hæc fore confido: nam semper numina vestra
Perfacilè annuerunt quod bonus optat amans.
Tu modo care puer, placidum qui quæris amorem,
Ne timeas Veneri sub iuga colla dare.
Pone metum turpem: namq; hæc non lusit amantes,
Quos vidit cupidos succubuisse sibi.
Quin etiam molles pueros sua regna ferentes
Adiuuat, & teneris supplicibusq; fauet.

DE IOANNE VIDIO.

CVm iuuenem eloquio nosset formosus Apollo
Præstare, & mentes voce mouere virum:
Obstupuit primò, quòd sic potuisset alumnus
Musarum Suadam percoluisse deam.
Sed postquam sensit iuueni præcepta loquendi
Mercurium, atq; artes explicuisse suas:
Risit, & admirans fratrem, te ò callide dixit
Hunc etiam nobis surripuisse iuuat?

Sed, cui natura effudit gremium'q; sinus'q;,
Qui ingenio reliquos exuperare potest,
Hunc & Musarum studio florere decebat,
Atq; alijs cunctis artibus ingenuis:
Quò illum Posteritas admiraretur, & vnus
Viueret æternùm docta per ora hominum.

Ad eundem.

D*Vm te te dicentem magnis de rebus & altis*
Ausculto in nostro nobile gymnasio:
Dum claram, & suauẽ vocẽ, dum verba lepore
Condita, erectis auribus ipse bibo:
Dum gestus obseruo oculis flagrantibus aptos,
Et totus Vidi pendeo ab ore tuo:
Ipsa mihi ex oculis atq; auribus exilit omnis
Vis animæ, & circum lumina amata volat.
Omnis tum sensus subitò de corpore cedit,
Mens'q; etiam è propria sede agitata fluit:
Ac, veluti magno stupefactus fulminis ictu,
Vix memet miserum colligere inde queo.
Ante alios igitur si iam non gratulor istud
Expletum munus dulcis amice tibi:
Hoc fit, quòd non dum penitus meme ipse recepi,
Et vereor, tecum quæ loquor, ipse loquar.
O iuuenem egregium, qui doctè, & dulce loquendo
Percellis mentem blanda'q; corda virum.

Ad eundem.

Vos tibi pollicitus fueram conscribere versus
O iuuenis Charitum Pieridumq́; decus,
Scilicet vt summum ij nunc testarentur amorē,
Quo tua me cœpit mira animi probitas:
Si non tàm suaues scribo, nec tàm arte politos,
Expetit vt virtus inclyta fortè tua:
Id nostro ingenio tribuas tardoq; rudiq;,
Atq; parùm assueto dulcibus hisce modis.
Adde quòd, ipse tui magno stimulatus amore
Parnaßi rapior dum ad iuga culta sacri,
Nempe vt Castaliæ recubans sub mollibus vmbris
Eliciam ex doctis carmina virginibus,
Sentio eas cupidè tibi iam præludere, & vnà
Suauidicos cantus ore docere suo:
Iamq́; tibi affixas alios non posse libenter
Audire, atq; illis carmina culta dare,
Hos igitur numeros, cupienti quos mihi nuper
Ex imo expreßit pectore dulcis amor,
Accipe flos iuuenum Vidi, nec munera paruā
Contemnnas, læta si tibi fronte damus.
Nostræ aliàs forsan referent te carmine Musæ
Maiori, & tollent nomen ad astra tuum.

IN EFFIGIEM EX GRAECO.

Aetherei ut Solis faciem, non lumina Solis
Egregius pictor pingit ab arte sua:
Sic Iuncta lodi effigiem, non lumina mentis
Illius potuit pingere docta manus.
Non tamen excellens virtus obscura latebit,
Deq; suo officio fama loquetur anus.

AD MVSAS. DE DONO PETRI VICTORII.

Hunc librum aureolum Musae Iouis inclyta proles,
Hos molles elegos culte Tibulle tuos,
Quos miro Statij ingenio duroq; labore
Purgatos mendis, expositosq; simul
Donat habere mihi vir praestantissimus omni
Virtute, excellens & bonitate nimis,
Pumice iam aequatos tenuis fastigia chartae;
Membrana tectos luteolaq; super,
Ante aram vestram media nunc laetus in aede
Constituo, & vobis munera parua dico:
Munera parua quidem, sed multo inspersa nitore,
Et facilè innumeris condecorata modis.
Vos mihi nunc contrà versus ostendite dulces,
Nec pigeat suaues ore docere sonos:
Docto homini ut possim dignas persoluere grates
Carmine, quod gratum, si faueatis, erit.

Debebam

Debebam hoc prius illius virtutibus, at nunc
Id summis meritis debeo, & officijs.

AD PHLOGILLAM.

Ipse silex, tu flamma leuis formosa Phlogilla es,
Si nos inspicimus nomen vtrumq; benè.
Mollis ego, tu dura nimis formosa Phlogilla es,
Si nos inspicimus mentem vtriusq; benè.
Igne ego feruidior, tu saxo algentior omni,
Si nos inspicimus pectus vtrumq; benè.
Quid iuuat ergo Petrum me dici, teq; Phlogillam,
Flamma ego cùm tibi sim, tu mihi petra rigens.
Ni iuuat hoc forsan pulcherrima Pseudophlogilla,
Quòd sum in amore grauis, tuq; in amore leuis.

DE LITHIDOS IN NISAM amore.

Ardebat Venus alma suos inducere Daphnin
In laqueos, flammis atq; agitare feris.
Ardebat, solitosq; dolos tendebat, & artes
Experiebatur sedula vbique suas.
Quippe etenim audierat Phœbum Musasq; colentem
Illum molliculis ludere sæpe modis:
Et nunc prædulci curarum obliuia cantu
Quærere, nunc blandæ tangere fila lyræ.
Ergo ardens tentabat eum in sua regna vocare,
Quò caneret laudes saucius ille sibi

Sed frustra cessere doli, frustraq; labores,
Votaq; successus non habuere ratos.
Ille etenim morosus erat, dum fortè puellas
Siue vijs audax, inspiceretue domi,
Sic, vt adhuc animum nullo labefactus amore
Temneret Idaliæ tela inimica deæ.
Atq; hanc vt glaucam iam fastidibat: at illam,
Quòd non gestaret nigra supercilia:
Hanc, quòd non nitidis caput esset culta capillis:
Illam, quòd pallens ora genasq; foret.
Hanc fugiebat vti labiosam, atrumq; gerentem
Dentem, & quæ rictu auerteret ora virum:
Illam, quòd gracilis, mammisq; iacentibus: & qu
Fusca colore esset: pumilione tumens:
Vel quòd, magna licet, nullum tamen ipsa leporem
Spiraret, Veneres non, Charitesq; simul.
At Cytherea dolet mortalia pectora flamma
Non posse, & cæco vulnere corripere:
Cum tamen ipsa animos Diuum implicuisset amore
Sæpe, & mulsisset ferrea corda dolis.
Iamq; illam facti pudet. ergo pectore versat
Consilium, Daphnin quo in sua iura trahat,
Expugnetq; feri iuuenis luctantia corda,
Et toto excutiat pectore duritiem.
Virgo erat insignis, clarisq; parentibus orta,
Et duro iuueni Nisa propinqua domu:
Quam numquam ille ampla conspexerat vrbe vagando,
Siue domus coleret tecta superba sua.
Iam illi nascenti pro oculis duo sydera cæli

Cælestes larga contribuere manu.
Proq; supercilijs ebenum desumpsit, & arcu
Blanda coronauit frontem oculosq; Venus.
At Phœbus iubar igniferum concessit, vt illi
Mox flueret circum lactea colla nitens.
Mitis Amor niueo mixtum candore ruborem
Accepit, teneras composuitq; genas.
Illa autem fulgent, vt candida lilia pulchris
Intertexta rosis sæpe nitere solent.
Coralia & gemmas rubro de littore legit,
Et labia, & dentes his benè finxit Amor.
Quin etiam, vt caperet vocis dulcedine mentes,
Illius insedit blandula Suada labris.
Aureaq; Hesperides, iucundè & olentia mala
In solido & niueo deposuere sinu.
Mox Charites blandiq; Ioci sua dona dederunt:
Sese illi adiunxit ingenuusq; pudor.
At Iuno omnipotens crescentem ætate puellam
Magno atq; erecto corpore constituit;
Et dedit immortale decus, lumenq; iuuentæ,
Quò incedens cunctis conspicienda foret.
Ergo ex tàm lepidæ ac formosæ virginis ore
Constituit viuas in fera corda faces
Sæua uibrare Venus, mollire & pectora dura
Daphnidos, & duro subdere colla iugo.
Quod voluit, fecit: nam dum miser ille pererrat
Sæpe domum, & crebrò despicit, ac refugit;
Dum fortè aduersis blandos defigit ocellos
Aedibus, & præstò est bella puella pede:

Contemplans niueasq; manus, & eburnea colla,
Luminaq;, & laues ore rubente genas,
Arsit, & obtutu flagrauit totus in vno,
Cœpitq; attonitus discere quid sit amor.
Sic primos in amore gradus vicinia fecit:
Post illum lusus perdomuere leues.
Ah ego te vici, exclamans Venus aurea, amante
Increpat, & meritò tot mala ferre docet.
I nunc, & nostras (inquit) delude puellas:
I nunc, & sæuas excute corde faces.
Parce mihi Venus alma, precor: tibi dedita seruit
Iam mea mens: vror: ò dea parce mihi.
Non equidem doleo, quòd me crudeliter ipse
Ipse tuus mißis ignibus vßit Amor.
Quin magnas habeo grates tibi Cypria, postquam
Tam pulchra caleo virgine, tamq; bona.
Nulla erat hic certè, cui Daphnis dignius ipse
Seruiret magno pectus amore flagrans.

AD AEMYLIAM PVELLAM canentem.

CVr mihi te te offers modulantem carmina sæpe?
Et mulcere aures, lumina & ipsa paras?
Tu, dum vtrumq; cupis docta & formosa puella
Præstare, heu (nescis) tollis vtrumq; mihi.
Semper enim alterius sensus dispergitur alter
Appulsu rei, nec requiete fruor.
Forma venusta aures, vox dulcis turbat ocellos:

Atq; huc atq; illuc distrahor vsq; miser.
Quare ne cantu quæras facieq́ iuuare:
Vel mihi vox placeat, vel tua forma minus.

AD AEMYLIAM PVELLAM.

INuidet hanc pulchram faciem tibi pulchra Dione
Aemylia, & similem se negat esse tibi.
Inuidet hanc suauem vocem suauissima Siren
Ipsa tibi, & cantu se negat esse parem.
Inuidet ambrosiæ hunc, quem spirat crinis odorem
Effulgens, Arabum terra beata tibi.
Inuidet hanc animam, quam emittis pectore, dulcem
Hybla tibi, dulci tota liquore fluens.
Inuidet alma Ceres, quæ sese pectore ab ipso
Marmoreo fundunt mala nouella tuo.
O felicem igitur, quisquis te spectat amator
Et pascit forma lumina cara tua.
O felicem etiam, quisquis te dulcè canentem
Audit, & assistens imbibit aure modos.
O fortunatum, qui suauè fragrante capillo
Excipit afflatum proximus ore tibi.
At quisquis poterit labris libare labella,
Atq; animæ florem sumere sæpe tuæ;
Quisquis & in gremio recubans tractare papillas,
Teq́ vnus capiens gaudia summa frui;
Non modò erit fœlix, ac terq́, quaterq́ beatus
Ipse, sed æquabit conditione Deos.

Ad eandem.

Miraris, cur te efflictim lepidißima virgo
Depeream, & cupiam te modò habere meā?
Dic age, quid iuuenū succendit pectus amore?
Nonne decor, probitas, ingenijq́; bona?
At tibi quis decor? & probitas quæ plena pudoris?
Quot præstas animi dotibus egregijs?
Ipse equidem credo nec forma atq; oris honore
Idaliam te te vincere posse deam,
Nec casto Dianam animo, aut virtute Mineruam:
Tantis vna bonis culta puella nites.
Aut igitur remoue hæc abs te ornamenta suprema:
Aut ne mireres, si tui amore flagro.

Ad eandem.

Nocte ego te in somnis video, teq́; alloquor, & tē
Complexu teneo, suauior, atq; fruor.
Luce ego peruigilans conspectu priuor, & ipsō
Alloquioq́; tuo, delicijsq́; tuis.
Sic mihi nox dulcis, lux verò est omnis amara:
Sic somno felix, & vigil ipse miser.
O valeant luces, & nox tegat vsq; tenebris
Cœlum: me vinctum detineatq́; sopor.

De eadem.

QVid nostros iuuenes teneros damnatis amores?
Quid me vexatis vocibus hisce viri?
Téne modò, ò Daphni ardere huius amore puellæ?
Cor illi miserum téne dedisse tuum?
Dic, tibi cur placuit tantum virgo ista? quid in se,
Quid tantum egregij, sola vt ametur, habet?
Quòd floret tùm opibus, tùm laude & honore parentum,
Est aliquid: verùm hæc pluribus esse vides.
Quòd facie insignis, formosa & corpore toto est,
Est decus: at non hæc vnica, rara licet.
Quòd casta atq; proba, & nulli probitate secunda,
Est laus: atqui alia est casta puella tamen.
Quòd cytharaéq; sciens, & cultrix ipsa Mineruæ,
Est honor: at non est illius hoc proprium.
O miseras iuuenum mentes, ò pectora cæca,
O ignara boni, stultaq; corda virum:
Si ijs non excellit, quæ dicitis, ipsa puella,
Nec vos illam alijs ante tulisse iuuat,
Quòd generosa eadem, diues, formosa, pudica,
Et docta est, omnes vincere sola potest.

DE LAVRA PVELLA.

DVm terras coluit Phœbus, Peneïa primùm
Vssit eum sæua pulchra puella face.
Sed ne sacrati violaret iura pudoris

Aufugiens Daphne, Laurea facta fuit.
Mox vbi deseruit terras, cælumq; reuisit
Delius, inuehitur conspicuusq; polo,
In veterem redijt cœlestum numine formam
Daphne, atq; humano corpore cuiq; placet.
Sed memor illa sui fati, nomenq; perosa
Antiquum, quo tunc virgo petita fuit,
Non amat hic Daphne, sed cunctis Laura vocari,
Laura nitens aureis, & sine labe comis.

AD ARISTERIEN PVELLAM.

O Nigris spectanda oculis, flauoq; capillo,
O corallinis conspicienda labris,
O roseis speciosa genis, o pectore eburno
Miranda, o niueo corpore conspicua,
O spirans tenerumq; salem dulcemq; leporem,
Formosa o toto corpore Aristerie:
Cur te non illo genuit natura Crotoni
Tempore, & eduxit nobiliore solo,
Cum præstans virtute alijs Iunonis in æde
Zeusis, vt excellens linqueret artis opus,
Egregiam voluit muliebrem pingere formam,
Quæ nota in longa posteritate foret;
Ac, vt perfectè simulachrum pingeret, vna
Corpora tot clara legit in vrbe bona,
Atq; alias partes hinc illinc transtulit, ipse
Quòd planè expletum crederet esse nihil?
Aut cur hoc sæclo potius non extitit ille,

Nec genitus nostra vixit in vrbe modo,
Cum te præstantem forma atq; ætate puellam
Et iuuenes ardent, depereuntq; senes?
Vtrum ex his mea lux cecidisset, Zeusis (opinor)
Te spectans melius virginis effigiem,
Et multò certè procliuius arte magistra
Pinxisset, spirans atq; parasset opus.
Quicquid enim laudis tribuit natura tot illis
Exemplis, vni hoc donat habere tibi.

DE NISA PVELLA.

AVdijt vt Mopso Nisam nupsisse Lycaen,
Ipse olim cantu quam celebrauit amans:
Ex imo educens mœstus suspiria corde,
Tristibus & lachrymis ora genasq; rigans,
Auratam accepit cytharam, plectrumq; decorum,
Fallaci & Veneri consecrat arma, & ait,
Hactenus ò mihi culta vale dea: & hæc tua multi
Blandimenta tibi plena doloris habe.
Iam satis his lusi · satis ipsa & amore vacillans
Fama ægrotauit: nunc tua regna volo
Linquere, cùm haud possim per carmina dulce parare
Coniugium, optaui quod miser ipse diu.
Nec verò vllam aliam cupio cantare puellam,
Pulchra oculis etenim non erit vlla meis:

AD

AD FELICIANVM PICVM de Felici puella cognomento Acerba.

INtentis oculis dum fortè tuerer amores
Ex speculis hodie candide Pice tuos,
Dicebam: O felix virgo, cui Cypris, Amorq́;
Certatim, & Charites, cuiq; Minerua fauet:
Sed magis ò virgo felix, quam illustrat amator
Felici cantu, suauidicisq́; modis:
O felix etiam iuuenis, cui pulchra puella
Excitat ardenti carmina culta modò:
Sed nimiùm infelix iuuenis, cui dura & acerba
Versibus est virgo concelebrata tuis.
Hæc ego dicebam sortem miseratus amantis,
Nec scibam, hæc virgo cur tibi acerba foret.
Sed postquam euentus potui cognoscere caussam,
Illius immitis sum miseratus ego.
Immatura etenim quæ sunt, hæc aspera nobis;
Matura at contrà mitia adesse solent.
Hæc igitur matura viro cùm candida virgo
Non sit adhuc, mitis cur erit illa tibi?
Nec tamen hæc surgens ramis felicibus arbor
Non abs te, primùm quòd fera, culta siet:
Cultu etenim dulces tibi mansuefacta rependet
Fructus, & largè mitia poma dabit.

AD

AD MATTHAEVM.
Romanum I. C.

IAmpridem cupiebam aliquos conscribere versus
O consultorum flosq; decusq; tibi:
Nimirum ingentem ijs vt testificarer amorem;
Debeo quem virtuti; officijsq; tuis;
Sed post tanta animo subrepsit inertia nostro;
Sicq; fui vita deside fractus ego;
Ex quo (quis credat?) cœpi me tradere Amori;
Virginem, & egregia forma adamare miser;
Virginem amatam alijs, insignem virginem ocellis;
Et caram Phœbo; Pieridumq; choro:
Vt, quasi traxissem Lethæi ad fluminis vndam
Diffusos latices faucibus aridulis,
Non solum illorum oblitus male prouidus essem
Carminum, & exculti muneris ingenij;
Verum etiam studij fluxisset cura recentis
Ipsa mihi ex animo, consiliumq; bonum;
Amplius & cordi veterum monumenta virorum
Non essent, colui quæ prius ipse libens.
Si tu igitur nosti, cuius me vincla puellæ
Nunc vinctum teneant, impediantq; simul;
Quominus ipse domi maneam vel carmina condens
Pulchra tibi, aut libris otia longa terens;
Sed misere cogant me & luce & nocte silenti
Illius ad duras vsq; iacere fores:
Aut patere à nobis nullo te munere claro
Donari; aut potius hac mea vincla leua;

AD M. ANTONIVM MVRETVM.

O Decus Argolicæ, Romanæ & gloria linguæ
Murete, ò summi maxima cura Iouis:
Quid magis ipse in te laudē? studiū ne Mineruæ
Quod celebre effecit nomen in orbe tuum?
An verò probitatem animi? quæ suadet, vt ipse
Officijs homines, promeritisq́; iuues.
Hæc quamuis sint in te summa atq; vnica, planè
Non animo possum constituisse tamen,
Vtrum vtri præstet, sis & tu doctior, an'ne
Vir probior: studijs clarior, an meritis.
Namq; ego, qui incensa dudum te mente colebam
Plurima virtutis ob monumenta tuæ,
Sentio nunc adeò deuinctum me tibi multa
Ob merita, & semper commemoranda mihi,
Vt, quò aueo magis officium persoluere gratus,
Tàm minus hoc poßim contribuisse tibi.
Sed tu perge tamen iuuenes vir docte fouere
Ingenuos omni, qua potes vnus, ope:
Ipsaq́; perpetuò referent te sæcla futura,
Laudibus, & tollent nomen ad astra tuum.

AD ANTONIVM FRANCISCVM Gherardium fratrem.

SI, quid ab ingenio licet expectare peracri
Dignum laude virum frater amate mihi;
Si quid & egregium debet præstare disertus,

Doctrina & cultus nobiliore puer:
Hoc abs te expectandum est, id tu hoc tempore debes
Praestare, ingenij qui bonitate nites
Quiq; colens multum sacrata volumina legum
Praecepta hausisti pectore cuncta tuo.
Perge ergo quò dulcis agit te gloria, nec dum
Siste gradum: superest iam tibi cura leuis.
Perge inquam, magnumq; decus nomenq; perenne
Et domui & patriae sedulitate para.

AD CLAVDIVM BILANCETTVM.

Conciliat si forma decens, & suauis amorem,
Te primas formae quisque tenere videt.
Si sunt laudandi mores faciles q; probiq;,
Nullus se iuuenis praeferat hisce tibi.
Si ingenij bona cultu sunt dignanda perenni,
Quis certet tecum his ingeniose puer?
Summè igitur te quisque colat, te laudet, ametq;
Ob formam, ob mores, ingeniq; bona.

INFERIAE AD TVMVLVM Vincentii Iuliani.

Nec Roma procul vrbe pio tua funera fletu
Vincenti potui condecorare miser:
Nec tibi pro summis meritis, pro munere vitae
Dona dedi mortis, iustaq; persolui.
Vincenti studiosus eras fautorq; perennis

Ipse

Ipse mei, & planè tu mihi frater eras.
Nunc ad depositos cineres atq; ossa sepulta
Aduenięns, lacrymas, & tibi iusta fero.
Accipe Vincenti dona hæc, hos accipe quæstus:
Aeternùm & felix ò mihi culte vale.

TVMVLVS SYLVII CAPASINI ipse loquitur.

SYluius in fluuijs iaceo: heu cur Syluius, vndis
Cùm fuerim rapidis obrutus amnis ego.
Sylua quidem nomen dederat, sed flumen iniquum
Me rapuit. quid nunc nomina falsa iuuant?
Sylua mihi nunquam, nunquam, dum vita manebat,
Saltus, sed fluuij, sed placuere lacus.
Non igitur sylua, at nocuit mihi fluminis vnda;
Non saltus, sed me perdidit amnis aqua.
Aut ergo in syluas nostrum traducite corpus;
Aut non, mersus aquis, Syluius ipse vocer.

EPITAPHIVM CANIS.

LAtrauit furi, tacitus dimisit amantes:
Sic placuit domino, sic placuit domine.

AD DELIAM PVELLAM.

QVamuis ipse niger, tu candida corpore contrà;
Atq; ego pallenti, tu roseo ore nitens:
Non est quòd nostros fugias crudelis amores:
Nec

Nec tibi sum prorsus despiciendus ego.
Sunt nigra, & viola, tamen illis alba decenter
Iunguntur teneris lilia virginibus.
Sunt & pallentes ferrugineiq; hyacinthi,
Insertisq; rosas condecorare solent.
Sed te non nigrum corpus, pallentiaq; ora,
At pallens aurum Delia auara mouet.
Aurum ego si attulero, fugies non corpora nigra,
Non os expallens despiciesq; meum.
Dona parate igitur, qui dulcem optatis amorem,
Nam donis solùm vincitur omnis amor.

AD PEREGRINVM ROBERTVM auunculum suum.

SI similes benefacta queunt nos reddere diuis,
Nil aliud cultum conciliatq; magis:
Quid mirum, si te, quoddam ceu numen ab astris
Delapsum, cuncti mente animoq; colunt?
Ecquis enim non sensit inops tua maxima sæpe
Promerita, & summam vir miserandus opem?
Quis gazas tàm læto animo collegit & aurum,
Quàm tu prolixè effundis vbiq; bonus?
Maxima cùm sint hæc, & summis proxima diuis,
Omnibus, & semper commemoranda viris,
Accedit quòd non viuit te gnauior alter,
Nec magis elucens viribus ingenij,
Aut virtute potens, dulci & sermone disertus,
Vt videare catus nuncius esse Iouis.

Viue

Viue diu nostra magnum decus vrbis, & istis
Tot lætare tuis, eximijsq; bonis:
Me verò, tibi quem iunxit tua cognita virtus,
Et probitas, studijs perge iuuare nouis,

AD·HIERONYMVM Nomum.

INcensus probitate tua Hieronyme, & alta
Virtute, insignes quæ facit vna viros,
Parua mei hæc ad te mitto monumenta laboris,
Quæ, non docta licèt, sint tibi grata rogo.

DE ARISTERIE PVELLA.

SIm læuus, populoq; leui nunc fabula fiam,
Alite dum læua sector Aristerien.
Nam qui tàm blandam nouit dulcemq̃ puellam,
Mente capi mauult, quàm sine amore mori.

AD EVPHROSYNVM LAPINVM.

TEmpora si possent vitæ transacta relabi,
Et redimi, qui iam præteriere dies:
Quantulacunq; meæ fluxerunt tempora vitæ,
Transigerem tecum carè LAPINE libens,
Præceptis monitisq; tuis vt doctus abirem,
Præditus & cunctis moribus ingenuis.
Nam quis te potior, si quærimus antea dicta?
Quis vitæ præstat vel probitate tibi?
At nunc, quod possum, relegam noctesq; diesq;
Scripta tua, eximijs scripta probata viris:
Vt, quos ex te non cœpi puerilibus annis,
Fructus maturo tempore percipiam.

AD FRANCISCVM BONAMICVM.

SPes ò cœlestis sophiæ, columenq; ruentis
Argolicæ linguæ, lux Latiæq; simul;
Quæ tibi cumq; mei dare pignora dulcis amoris
Possum, hæc do paucis versibus hisce modò.
Et volui hoc tenuì confectum carmine munus
Reddere pro meritis officijsq; tibi:
Vt, tua posterior cum ætas monumenta reposcet,
Si, dederint nomen quæ tibi facta, roget:
(Dum mea ne cæcis tenebris & nocte profunda
Musa inuoluatur, depereatq; breui)
Post alias laudes, quas doctus vbiq; parasti,
Diuinæ studium Palladis vsq; colens,

F Quid,

Quod, quam unicam dederunt tibi numina mentem,
Iuueris hac homines discipulosq; tuos,
Ingeniusq; tibi iuuenes deuinxeris omnes,
Dulce decus tribuat hoc quoque fama tibi,

DE LAVRENTIO IACOMINIO.

SAuidicum roseo dum fundit carmen ab ore
Hetrusci laurens gloria prima soli,
Aoniamq́, chelym pectro modulatur eburno,
Cœruleus placidis qua fluit Arnus aquis:
Naiades cantu commotæ è sedibus imis
Assultant miris curua per antra modis,
Arnus arundineo glaucum caput exerit alueo,
Et ponunt Zephyri, lymphaq; lenta silet:
Quin etiam Phœbus medio consistit in orbe,
Miratur pueri Pindaricosq; modos,
Mox adiens gelidi nemorosa cacumina Pindi
Eelapsus cœlo, laurea serta parat:
Et docti pueri prætexens tempora lauro
Hæc, ait, vt nostri pignus amoris, habe.
Tu namq; es lauro, non tantum nomine, dignus,
Qui canis Aonio carmina digna choro.

DE IO. BAPTISTA RIMBOTTO.

QVod versus amat, & medicas feliciter artes
Rimbottus diti tractat in vrbe modo,
Lætitia exultans, & docto Phœbus a lumno
Se iactans,

Se iactans, dulces protulit hos numeros.
Quantum opibus studijsq; alias supereminet vrbes
Vrbs Hetrusca, Arni quam secat amnis aqua,
Tantum alios inter iuuenes hic arte medendi
Excellet iuuenis nobilis atq; bonus,
Nec debebit ei minus optima patria claro,
Quàm dulcis patria debeat ille solo.

DE HIRVNDINE.

Hvc accurre puer, festina: pande fenestras,
Pande fores: propera: nam meus hospes adest.
Hospes adest, atque suo blanditur hirundo
Hospiti, & ingressum garrula tentat auis.
Nonne audis, arguta modos vt fundit ad auras?
Vtq; cupit cantu tecta subire mea.
Sed subijt iam tecta, trabem laquearis & alti
Occupat, ad nidos & loca tuta parat.
Salue ales diuina noui mihi veris amati,
Quo uires sueui & robora colligere.
Salue; & dulciloquis numeris solare labores
Nostros: nam studio languida membra iacent.
Sed caue blanda tamen, cum somnia lata Phiellam
Aurora ducunt exoriente mihi,
Intempestiuum cantes, strepituq; soporem
Discutiens, tollas gaudia nostra loquax.

AD ARISTEREN.

NEc tua lacrymulæ poßunt præcordia dura
Mollire aßiduè culta puella mea.
Nec meus ignis edax tua frigida pectora præsens
Calfacere, in flammas vertere & illa potest.
Durior ò scopulis, glacieq; algentior ipsa:
O eadem nobis cara puella tamen.

DE PORTIA PVELLA.

INtulit acer Amor generosæ incendia sæua
Portiæ, & ardentes misit in ora faces,
Excipit acer Amor diras è Portia honesto
Ore faces, quas nunc in mea corda iacit.
O semper varium & mutabile numen Amoris,
O & amatorum sors miseranda nimis.
Portia crudeli quondam flagrauit amore;
Nunc aliòs flammis vrit acerba feris.

AD TARQVINIAM MOLSAM Illustrem fœminam.

SI loqueris, Pallas: si incedis, Iuno, Venusq; es,
Si rides, diuas tres modo Molsa refers.
Si te igitur Phrygia Paris aspexisset in Ida,
Illarum pugnam ludificasset ibi.
Nam quæ corde viget, grauitate atq; ore nitescit,
Omnibus hæc vna est anteferenda alijs.

AD

AD ARISTERIEN.

SI petulans audaxq; nimis te sector, ubiq;,
Parce mihi: audacem me facit ipsa Venus.
Parce mihi: nec dura velis mihi triste minari
Supplicium: vel sis bella puella minus:

DE FONTE MAVRITIANO.

QVi ciet è medio doctas Helicone Camoenas
Fons huc felici Mauritianus aqua,
Tempore, quo uatum flos dulces fudit Hetruscos
Hic versus celebrans inclyta facta ducum
Obscurus latuit, nec cœli in lumina ductus
Frigidulas blando murmure fudit aquas.
Quòd si nullus aquæ gelido sub fonte susurrus
Adiuuit suaues, perpetuosq; modos,
Quales dulcè sonans lympha elicuisset amœni
Fontis, Pieridum lympha perennis amor?

AD FONTEM GRAGNANIVM.

FOns sacer, arguto teneras qui murmure nymphas
Allicis ad nitidos egelidosq; lacus:
Dum se Pierides, multo quæ pectora cultu
Exercent Tityi, perpoliuntq; modo,
Reijciunt fessæ studio duroq; labore
Huc, vbi blandisono labitur unda pede,

Et nunc languentes recreant se rore salubri,
Ad fluxum cantant nunc resonantis aquæ;
Illas posce, pre cor, strepitu mihi carmina dulci,
Carmina, queis celebrem nomen in orbe tuum;
Nam mihi si faueant, cultißima numina, Musa,
Te summis tollam laudibus vsq; libens:
Immemor & fies grauitatis; & ære multo
Clarior, ac cæli sidera celsa petes.

DE CAMILLA PVELLA.

CAra fuit Triuiæ volsca de gente Camilla,
Certaq; perdidicit tela librare manu:
Sed cara est blandæ Cythereæ et nostra Camilla,
Atq; oculis didicit pulchra vibrare faces:
Illa feras, Teucrosq; duces prostrauit acerbo
Interitu, hæc iuuenes perdit amore bonos:
Illa minor tandem multata est vulnere sæuo,
Hanc numquam dura cuspide tangit Amor.

ET grauibus studijs, & curis fessus Amyntas
Pieridum sese colligit vsque locis.
Pandite uos illi dulces Heliconia Camoenæ,
Tu Cynthi iuuenem carmina docta doce:
Sic tibi perpetuò sint culti Phœbe capilli,
Sic vobis Musæ virginitatis honos.

DE SYLVIA PVELLA.

AD matrem viduus telis arcuq; redibat
Tristis Amor, gemitus et dabat ore graues;
Mestaq; continuo foedabat lumina fletu,
Tundebat palmis lacteolumq; femur.
Pupe meus quid moestus ades? cur fundis ocellis
Tot lacrimas? agedum dic mihi Cypris ait.
Tunc ille, o genitrix nato mitissima parce,
Parce precor: venia sum modo dignus ego.
Syluia virginibus cunctis prælata decore,
Syluia quæ forma exæquat honore deas,
Dum forte occurrit nobis, & spicula & arcum
Quem gerimus, blanda flagitat vsq; prece,
Abstulit illa: oculis nam uultum virginis ipse
Contemplans, matri me dare credideram.

AD ALEXANDRVM TRAIANVM Medicum.

ARtis Apollineæ cultor, quæ tempora vitæ
Aegris restituis perdita corporibus,
Illa tibi accumulent superi, meritoq; rependant,
Ciuibus vt possis vtilis esse diu.
Nam si spectanda est virtus, moresq; medentum,
Non video, tibi qui præstet in vrbe modo.

EX AREOSTO.

Amplius ha lacrymae non sunt, quas flumine largo
Effundo ex oculis nocte dieq; miser:
Iampridē absumptae lacrymae: saeuumq; dolorem
Infixum media destituere uia.
Vitalis ros igne actus nunc effugit illo
Tramite, qui ducit lumina ad ipsa patens.
Quiq; fluit, liquor est: vnà secumq; dolorem
Et vitam extremo tempore lucis aget.

Nec quae significant interna incendia nostra,
Haec suspiria sunt, taliaq; illa eluent.
Illa intermittunt aliquandò, at pausa dolori
Pectoris ingenti non datur ulla mei.
Excitat hunc flatum, qui urit mea corda, Cupido,
Alas ad flammam dum quatit ille leues.
Qua mira ratione id agis puer improbe, vt ignis
Absumat numq̃, torrida corda uorax?

DE LAVRAE CAPILLIS.

Vidulos cupiens Laura exsiccare capillos,
Quos leuiter fusos uentilat aura Noti,
Moesta querebatur Solis vaga lumina abesse,
Et niueum nubes eripuisse diem.
At Phoebus questum accipiens de vertice Olympi,
Lumineq̃ ex alto lumina amata tuens,

Quid

Quid me queris ait, cum dudum lumina amantis
Fugeris, oblatus respuerisq; faces?
Dixit: at antiquas etiam num in pectore flammas
Conseruans, radijs virginis ora petit.
Illa aciem praestincta manus admouit ocellis,
Atq; auersa timet tangi ab amante suo.

AD PICTOREM DE Flamma Puella.

STulte quid aggrederis formosam pingere Flāmam,
In te dum ridens lumina blanda mouet?
Nonne vides, vt luce tuos praestinguat ocellos?
Vt te mirantem destituantq; manus?
Si cupis, o pictor, formosam rite puellam
Pingere, quae curas picta meas releuet,
Non vigilem, dulci sed vinctam lumina somno
Pingas: nam somno non perit ipse decor.

AD OCTAVIVM BIANCVM.

TAntus in ore tuo decor est, & tanta venustas,
Spectantem, vt quemuis in tua iura trahas.
Tantus inest linguae lepor, & facundia tanta,
Vt subigas durum quemlibet, & capias.
Quis neget ergo Cyprin formam, Charitesq; decorem,
Mercurium eloquium sponte dedisse tibi?

DE PVELLA ACV VVLNERATA.

DVm mea pingit acu telam studiosa Lycoris
Compunxit digitum, fluxit & inde cruor,
Effluxit cruor è digito, lacrymæq; perennes
Ex oculis lacrymæ pectus, & ora rigant.
Vulnus in articulo spectans, graue uulnus amator
Sensi in corde, miser quò periturus eram,
Semianimem docta nisi me recreasset Apollo
Arte sua, quam nunc sedulus ipse colo.
At tepidæ illius lacrymæ, sanguisq; volutus
In terram flores progenuere nouos.
Pallentes lacrymæ violas, mollesq; hyacintos,
Sanguis purpureas, lætificasq; rosas.
Inscia iucundos tellus miratur odores,
Et gaudet refici rore perusta siti.

AD MAVRITIVM BALLETVM.

DVlcè canens, in me dulces dum uertis ocellos,
Obstupeo, eq; meo corpore sensus abit.
Quòd ni intermittes numeros, et lumina torques
Voce salutares me, sereresq; iocos,
Corde ego deficerem, merita nec morte perirem,
Tuq; meum caneres flebilis exitium.

AD

AD SERVILIVM GRILLENzonium Mutinensem.

INgenio pollens cùm tu uerseris in arte,
Quæ summos titulos, diuitiasq; parat;
Cùm tot sustineas noctuq; diuq; labores
Immoriens studijs, nec requiete fruens:
Quid de te uatis uenturi prouida sentit
Mens? quos euentus Pieris una canit?
Hos certe, insignis uiues decus urbis, & orbis,
Et per te fiet gens tua clara magis.

AD BARTHOLOMEAM Gherardiam.

NIl mortale refers, de cœlo lapsa uideris
Fœmina: nam ingenio, corpore, uoce deæ es.
Si loqueris, scito reddis sermone Mineruam:
Si uultum profers, candida Cypris ades.
Si canis, & cytharam plectro modularis eburnam,
Audiris blando Calliopea sono.
Vt minime mirum iam sit, si, quisquis in urbe
Viuit, te sanctè deueneratus amat.

DE FLAMMETTA SODERINA.

FLammettam Musas inter celebrare choreas
Vidit Mnemosyne: quàm Cyprin esse rata,
Dixit. Quid nata vobiscum blanda Dione?
Castas non lusus blanditiaeq; decent.
Audijt haec virgo malas suffusa pudore:
Dein suaues cantus ore sonante dedit:
Queis ita Mnemosynes permulsit corda seuera,
Vt censeretur Pieris vndecima
Docta puella inquit Musarum candida mater,
Concedat primas Lesbia uirgo tibi,
Illa etenim mentes incendit carmine tantùm,
Tu blandis numeris, corpore & egregio.

DE IVLIO PVERO, QVI IN insula Cypro obiit.

DIc Cypri regina Venus, num pulcher Iulus
Cura fuit dulcis, delitiaeq; tua?
Dic foecunda Cypros Veneri dilecta marina,
Hic puer in gremio decubuit ne tuo?
Et meruit quem blandus Amor, quem Cypris amarat,
In Cypri nitido mortem obyße sinu.
Attamen haud meruit saeuis cecidisse sagittis
Ille, nec immitti vulnere dignus erat.

AD LYCORIM.

Cum mihi promisti noctem formosa Lycoris
Concepi summam pectore lætitiam.
Cum me fraudasti noctem mentita Lycoris
Concepi summam pectore tristitiam.
Me vero illudens cum scriptum perfida misti,
Deperij, & fregit tum mea corda dolor.
Feruidaq; ussissent suspiria nostra tabellam,
Humida ni fletus facta fuisset aqua.

AD IOANNEM VECCHIVM Pictorem.

Vidi te cultos digitis animare colores,
Et dare imaginibus mittere posse sonos.
Pinge ergo nitidam (credo te nosse) puellam
Ipse meam: sed quæ reddere verba queat.
Huic ego delitias faciam, blandeq; iocabor:
Nam spectare iuuat corpus inane nihil.
Hanc mihi si formam diuina pinxeris arte,
Pro meritis semper te mea Musa canet:
Et te sollertis naturæ munus obire
Dicam, nec ueteres non superaße manu.

AN-

FONS CASALIVS.

HIc fons desiliens prærupti è tramite cliui
Fundit inexpletùm gelidos nitidosq; liquores.
Hic superimpendens ilex potantibus vmbram
Vertice frondoso, ramisq; ministrat opacis.
Hic labentis aquæ per læuia saxa susurrus,
Et dulces auium concentus inter odoras
Myrtus, inuitant faciles per gramina somnos.
Hic molles spirant Zephyris felicibus auræ,
Mulcentes æstum, & radiantia lumina Solis.
Siste uiator iter nec syluam accede virentem,
Ante tuos recrees quam fessos corporis artus
Hic, vbi fons præbet solatia tanta laborum.
Pelle sitim lympha, & molli resupinus in herba
Somnum carpe breuem sub ramis arboris altæ;
Te salientis aquæ suspenso ex aggere murmur,
Te crepitans Zephyri solabitur aura iacentem.

FONS GELIDAE VALLIS.

RVpe sub hac gelida paulum requiesce viator:
Aura hic emotis ludit ab arboribus.
Et bibe fontis aquam: namq; hæc sub Sole calenti
Grata viatori sunt, liquor, aura, quies.

IN BALNEVM.

Vnde venustatis tibi plama obuenerit olim,
Noui, & cur pastor fauerit alma Cypris.
Hic te lauisti longis spectanda capillis,
Formosamq; magis reddidit vnda nitens.
Sed qui non sperni poterat Saturnia Iuno,
Pallasq; Inachijs lota recenter aquis?
Balnea vicerunt vitreis pulcherrima lymphis,
Non tuus ingenitus o Cytheræa decor.

IN PVERVM DORMIENTEM.

Hic, volucres liquidis vbi q̃stibus æthera mulcent
Et strepit aura leuis, currit & vnda nitens:
Ilice sub patula dormit formosus Amyntas
Naiades, vestro tutus amore puer,
Vos procul informes vrsos arcete, lupósq;,
Et toruos apros, horribilesq; feras,
Vos puerum velo circundate, linquat amores
Vt ne Aurora suos, aut Venus alma suos;

IN AMOREM.

Ex thure inuictum quidam confinxit Amorem,
Qui coelum & terras vstulat igne puer.
Sed si thuricremæ donum imponatur acerræ,
Huc properate homines, huc properate Dei,

Munus

Munus erit gratum: lætusq; incendia quisque
Spectabit: nec uos amplius vret Amor.

PRIMITIAE.

P*Ani hircum, Nymphisq; rosas, thyrsumq; Lyæo*
Fronde sub hac viridi dat tria dona Biton.
Dij capite hæc lætis animis: semperq; capellas
Augette, & fontes, grataq; uina mihi.

AMOR INEXORABILIS.

N*E fletu mollire putes Thelembrot e Amorem:*
Hic ignis parua non superatur aqua.
Tantum auro placatur Amor, nō fletibus ullis
Nec curat lacrymas æquore natus Amor.

AD CATERINAM PVELLAM.

E*St Paphia tibi forma deæ, probitasq; Dianæ,*
Iunonis gressus, Palladis ingenium.
Mirè igitur Catherina Deas cùm quatuor æquis,
Nos tibi cestum, arcus, egida, scepta, damus.

IN AMOREM BVBVLCVM
Ex Moscho.

DEposuit crudelis Amor sua tela facesq;,
Rusticus, & texit corpora veste rudi:
Et stimulum manibus cœpit, sociosq; laborum
Misit araturus sub iuga curua boues.
At postq; duras inuertit uomere glebas,
Versam frugifero semine sparsit humum.
Suspiciensq; inquit, fœtunda hos Iuppiter agros,
Europæ ne tu sub iuga taurus eas.

IN VITEM OLEAE ADIVNCTAM.

ECquid Palladia iungis te planta Lyæi
Ebria? sum virgo sobria: tolle manus.

IN EANDEM.

QVid te Palladiæ tentas sociare Lyæi
Planta? oleum nunquam iungitur arte mero

IN ARDOREM SVVM.

QVi cupis exsufflans prunas animare lucernam,
Huc ades; ex me anima: totus amore flagro.

IN EFFIGIEM AMORIS.

QVidam propter aquas ardentem pinxit Amorem,
Ignem illius aquis stinguere forte putans.
Nescit heu demens quod non extinguitur undis
Flāma hac, nec sauus flumina curat Amor

AD ARISTERIEN PVELLAM.

ET si me odisti, caram te semper habebo
Ipse tamen: nam sic imperat acer Amor.
Etsi me spernes, venerabor te tamen vnam;
Etsi me fugies, se tamen vsq; sequar.
Etsi casta domi latitabis, nocte dieq;
Ante fores stabo ianitor ipse tamen.
Si mihi Aristerie curabis tollere dextram,
De te etiam scribet carmina laua manus.

EPITAPHIVM GRATIAE PVELLAE.

HVc veniens taceas, aut hæc in fronte notata
Hospes submissa carmina voce legas.
Hic recubat dulci virgo deuincta sopore
Gratia: nam q; Deas est periisse nefas.

AD FRANCISCVM MEDICEM Hetruriæ Principem de Aduentu eius ad vrbem.

VEnisti tandem, tandem clarißime Princeps
Has nostras oras adysti, atq; omine fausto
Intrasti paruamq; vrbem, sedesq; tuorum.
Nunc dabitur populo valde expectata tueri
Ora tua, & dulci saturando lumina vultu
Nunc se felicem dicet, nimiumq; beatum.
Non iuueni ardenti pertentant gaudia pectus
Tanta, interuallo cum longo uisit amores
Ipse suos, quanta aduentu iuuenesq; senesq;
Concipiunt Francisce tuo, quos florida tellus
Hac alit, & quibus ipse ad te das iura vocatis.
Aspice, dum nostras voluisti inuisere terras,
Dum tua vicit iter pietas durum optime Princeps,
Quàm multa & tectis agrisq; effusa iuuentus.
Læta diem festum celebrat; quæ gaudia vultu
Declarat; quibus & te oculis prospectat euntem:
Vt te mirantur posita longo ordine matres.

Attonitiq; inhiant animis: Vt quisque videre
Optat ducéq; tuam magnorum è sanguine Regum
Coniugem, & insignem solio veneratur in alto:
Vtq; leues ducit choreas, vt uina ministrat,
Et plausu & cantu curas depellit edaces.
Aspice, sæpe solet dum hoc anni tempore Phœbus
Cingere se tenebris, & plurima Iuppiter ipse
Fulmina molitur dextra cœlumq; coruscat,
Vt nitidus ridet discussis nubibus æther:
Vtq; tibi fructus Autumnus pandit odoros,
Præsertim niueis decoctas solibus vuas:
Vt tibi lenè fluit Tybris regnator Hetruscæ
Oræ, & flexiuagos pisces conseruat in vndis:
Quin tibi sylua comas nutrit, tibi pabula florent,
Aucupio vt possis te te oblectare volucrum,
Si libeat, vel venatu indulgere ferarum.
Scilicet hæc populi Burgensis gaudia tanta,
Tantaq; quæ rident res omnes vndiq; nostra
Lætitia exq; tuo aduentu, aduentuq; beatæ
Coniugis, assistens quæ te comitatur euntem
Significat, si quid veri mens augurat, hic iam
Aduenisse diem, quo tu felicia nobis
Tempora restituas, quæ tum hæc malè prouida fati
Gens habuit, cum non inter se absumere vires
Cœperat ipsa suas, odio & certare furenti.
Tu namq; assimilis diuis vocemq; figuramq;
Vnus nutu animos potes hic lenire feroces,
Frangere & indomitos, atq; inueterata malorum
Extirpare odia, aut hos castigare minaci

Vultu, si videas nutu haud mollescere duros.
Salue ergo o columen Tusca spesq; altera gentis
Francisce: o regis salue generosa propago
Magnanimi, qualem non haec, neq; prisca tulerunt
Secla alium, aut ventura ferent; seu pectore forti,
Seu pietate virum praeclarum quaeris in orbe:
Salue cura deum, & quicquid seiunxit Amorem,
Munificamq; tuam a nobis auertere mentem
Iam potuit, pone ex animo & compesce dolorem.
Laesit te hic populus. fateor. tu & tactus ab ira
Iustitiae plenus retulisti sontibus illis
Digna suis factis. Sed qui te laesit, & vna
Poenarum satis exhausit, se corrigit idem:
Et metuens legesq; tuas, & soluere iura,
Nunc tensis manibus, proiecto & corpore supplex
Te rogat, vt, cum te nostra fortuna salutis,
Teq; necis nostrae iam fecerit esse potentem,
Conseruare inopes homines, quam perdere malis.
Hoc abs te pietas, summa & clementia Regum
Postulat, at non crudelis natura & acerba.
Quare si qua animum stringit pietatis imago,
Si qua tibi officia aduersis in rebus, vt ipsa
Debebat, tribuit gens haec animosa, labori
Illius succurre, & ne indignare precanti:
Quin potius vultuq; hilari pacatus in illam
Respice, & accipiens quos nunc tibi praestat honores,
Mente animoq; bono, augere eius gaudia cura:
Atq; optata diu fac nobis otia cunctis,
Otia perpetuam semper comitantia pacem.

AD ALEXANDRVM SFORTIAM Cardinalem Amplissimum, Bononiæ & Rauennæ Legatum.

DVm geminos populos magna ditione gubernas,
Et iusti rectiq; tenax moderaris habenas
Rerum, virtuti persoluens præmia digna,
Et meritas vitio tribuens sine crimine pœnas:
Dum te flagranti studio, atq; applausibus omnes
Excipiunt vrbes, & tanto Principe lætæ
Inq; caput, sacrosq; humeros, gremiumq;, manusq;
Purpureos Flores, candida Lilia iactant;
Dum tibi concelebrant solennes ordine pompas,
Et festas agitant luces clamore secundo:
Aurea Pax summo veniens è vertice cœli,
Et præcincta caput ramo frondentis oliuæ;
Quam pia Relligio, Probitas, Rectiq; cupido,
Et dulcis sine fraude lepos comitantur euntem,
Felsineis oris, & Rheno constitit amni,
Taliaq; eximo profudit pectore dicta;
O fortunatæ tali sub Principe gentes;
O felix etiam tanto pro munere Princeps.

AD BAPTISTAM CESCARINVM, & Annibalem Gherardium.

Felices animæ, pueri saluete venusti,
Saluete ò Musis gratißima cura sodales,
Vrbs bona quos peperit, quos nectare dulcis Hymeti
Pauerunt Charites, & quos cultißima Pallas
Artibus erudiit, tenerisq; immobilis hæsit:
Quiq; vna Aonidum per roscida culta vagantes
Hausistis sacro dulces è fonte liquores.
Felices animæ, pueri salute venusti:
Vos non anxiferæ curæ, duriq; labores
Dulcibus exercent quicquam puerilibus annis.
Vos vrbe in media, Phœbo Musisq; peractis
Sacris, dulce genus ludorum, & honesta voluptas
Sæpius oblectant, & præbent gaudia vobis
Libera, nec strictis curarum infecta veneno.
Vos iuuat vrbe procul, vernant cum floribus agri,
Dulciaq; inuitant decedere rura tumultu,
Aut leporem cane sectari nemus omne per altum,
Aut tremulos nassa, molli vel arundine pisces
Captare in fluuijs, aut corpus Tybridis vndis
Mersare, flauumq; amnem superare natatu.
Felices animæ, pueri salute uenusti.
O qui dilectas patriæ, me sistat ad oras,
Ad uosq; vnanimes dulcesq; reducat amicos.
Vrbe ego vobiscum per compita læta vagarer,

Vobiscum canerem, vobiscum rure manerem,
Vobiscum ludo veteres solarer amores.
Sed mihi abire licet non lum ex clara urbe Quirini,
Quòd non audierint superi mea vota precesq;.
Hic ergo moerens traduco tempora uita.
Inuideo vobis pueri tot gaudia ruris,
Inuideo vobis pueri tot gaudia & urbis.
Vel potius vobis ò dulcia rura, & amata
Vrbs hos inuideo pueros sine labe venustos.
Verum ego dum vestro pueri inflammatus amore
Hos volui cultis versus inscribere chartis,
Deficit me sole dies cedente tenebris.
Ergo felices iterumq; iterumq; valete.

AD SALLVSTIVM SALVIANVM HIPPOLYTI F.

DVm in te Sallusti, clari spes vna parentis,
Intueor; dotesq; animi quibus affluis ipse,
Contemplor: dubito, an maior sit gloria, tali
Te genitum è patre, an talem genuisse parentem
Filium, honoratæ posset qui extendere famam
Gentisq; & patriæ, ac decoris iam plurimum auito
Addere, & in longum nomen producere saclum,
Antiquas & opes opibus cumulare superbis.
O genus illustre ex ipsius stirpe creatum
Virtutis: nam multum sapientia in istam
Antiquam claramq; domum sic insita, & alta est,

Laude ut perpetuo virtutis floreat una.
Viue diu insignis iuuenis probitate, magisq;
Artibus insignis Phœbi: ac vestigia patris
Persequere egregij, ut ne te magis ille perenni
Claret honore suo, quàm tu illum laudibus ijsdem.

DE COMMENTARIIS Maynetti, Maynetti in lib. Aristotelis de Cœlo.

Dum vario motu diuum infinita potestas
Versabit cœlum, & cœli vaga sidera flectet,
Hunc quoq; versabit manibus studiosa iuuentus,
Et leget insomni cura assidueq; libellum,
Quem tu de cœli natura ò prime sophorum
Scripsisti, explanans dictis quæ obscura reliquit
Doctus Aristoteles: nec erit, qui occurrere tanto
Audeat huic operi, quod tu de vertice cœli
In terram lapsus quæsisti in tempore longo.
Et merito. quis enim potuisset mente sagaci
Efficere, ut quæ nos fugiunt, longeq; remota
Sensibus à nostris absunt, ea cernere quisque
Posset, vel manibus potius tractare frequenter?

TV-

TVMVLVS IOANNIS TAVRINI.

Qui nixus nullis opibus, nec lumine gentis
Adiutus, paruaq; sua vix notus in vrbe
Ad summas emersit opes, summaq; parauit
Venturæ genti famam præstantibus ausis,
Virtute, ingenio: iacet hic dux inclytus armis
Taurinus, cuius laudes præclaraq; facta
Mœonio æquari non est vt carmine possint.
Nam quis plura umquam belli certamina legit.
Ille inijt quàm forti animo dextraq; virili?
Quis plures belli euentus optauit adortus
Hostem, quàm ille habuit nulla cum cæde; secundos?
Sed fera fata hominem tam clara in luce locatum,
Tamq; breui è tantis tenebris miratu nec vlla
extingui ratione timentia posse, sub ipso
Virtutis flore exitium clademq; tulerunt
Turpem illi, & misere contactum glande corusca,
Fulmine vt sæuo, noctis mersere profundæ.

DAPHNIDIS, ET PVELLAE Colloquium ex Theocrito (desideratur initium in Græcis codi. Imp.

DA. *Pastor & ipse Paris Helenen abduxit amatam:*
Sed me pastorem hæc Helene plus diligit ipsa.

PU. *Ne Satyrisce tume, namq; oscula vana putantur.*

Oscula

D. Oscula vana quidem dicuntur: magna voluptas
Est illis adiuncta tamen, quæ oblectat amantes;
P. Quæ tu labra mihi suxisti, diluo guttis,
Tristeq; suauiolum roseo (uideris) expuo ab ore.
D. Dilue labra tibi, sed da oscula rursus amanti.
P. Oscula dent tibi vaccæ, non innupta puella.
D. Ne te magnificè iacta pulcherrima virgo,
Namq; cito pubens, ceu somnia, præterit ætas:
Vua breui fit passa, breui rosa marcet & aret;
Huc, vbi tellurem ramis oleaster inumbrat.
Huc concede, volo quædam tibi blanda referre.
P. Non sequar ipsa: prius decepsti me quoq; blando,
Et dulci sermone tuo, salibusq;, iocisq;.
D. Sed tamen has virides mecum concede sub vlmos,
Vt cantum accipias nostra ludentis auena.
P. Tute tibi cane, te q; iuua: me namq; dolorem
Quæ post perpetuum afferat, haud tenet ulla uoluptas.
D. Ah venerem formosa time, nec sperne furentem.
P. Ipsa Venus valeat: fautrix sit casta Diana.
D. Hisce modum verbis adhibe, ne accensa Dione
Te lædat, laqueoq; premas tua colla tenaci.
P. Lædat, vt illa volet: nemorum mihi Cynthia custos
Rursus opem feret, & seruabit amica puellam.
At tu saue manus cohibe, ne incensa dolore
Ipsa tibi labrum scindam, vultumq; cruentem.
D. Ne suauem fugias, ne tu auerseris amorem,
Optandum quem non vlle fugere puellæ.
P. Per Pana hunc fugio: at tu rustica semper aratra
Versas, & duris iuga tollis curua iuuencis.

D. Quàm metuo, ne peiori iungare marito.
P. Multi me petiere viri, sed victa querelis
Nunq; virgo fui, & calui intemerata pudorem.
D. Nunc ego te formosa peto, hucq; hoc nomine veni.
P. Quid faciam? nam sunt connubia plena doloris.
D. Plena voluptatis connubia letitiaq;
Sunt, & perfundunt animos dulcidine summa.
P. Sed nupta dominis semper seruire maritis
Dicuntur, misereq; illorum iussa timere.
D. Quin potius dominis dominantur amantibus ipsas.
Nam quem permetuunt vxores. quemq; verentur?
P. At partum metuo: partus durißima res est.
D. At tua maturos aperit Latonia partus.
P. Sed partum timeo, nitidum ne pulchra colorem
Enixa amittam, & fiam pallentior auro.
D. Sed si protuleris caros in luminis oras
Natos, hosce nouum lumen formosa videbis.
P. Ast ego si annuero, quæ præmia digna rependes?
D. Omne pecus, nemus omne meum, saltusq; tenebis.
P. Adiura, ne post thalamos me perfide linquas.
D. Pana deum adiuro semper connubia nostra
Firma fore, & te non linquam me sponte sequentem.
P. Ergo mihi thalamum, sedem mihi construis ipse?
D. Construo: & armenta hæc tibi molli in gramine pasco.
P. Verum quid dicam confecta ætate parenti?
Qui purgem me? aut quo prætexam nomine culpam?
D. Ne dubita, dulces hymenæos ille probabit,
Nomen vbi audierit nostrum, sanguenq; paternum.
P. Dic igitur nomen, & qua sis stirpe creatus;
Nos

N s pleramq; etenim gaudeo in nomine tantum.
D. Daphnis ergo, at pater est Lycidas, materq; Nomaea.
P. Nobilis es certè praeclaro è sanguine natus:
At genere exuperas non me tamen ipse puellam.
D. In genere haud praestas, quae nata es patre Menalca.
P. Tuum ostende mihi, sedes ostendes paternas.
D. Huc ades, & teneras frondentes cerne cupressos.
P. Pascite florentem cythisum, salicesq; capellae,
Dum loca pastoris viso, syluamq; pererro.
D. Carpite candentes viridantia gramina tauri,
Dum nemus antiquum monstro, saltumq; puellae,
P. Quid facis ò satyrisce? quid has insane papillas
Contrectas auidis manibus, meq; appetis ore?
D. Hasce tibi mamas, ceu suaue rubentia mala,
Demonstro primum, niueo quae à pectore pendent.
P. Obstupeo, gelidusq; meos tremor occupat artus;
Testor Pana: manus inhibe violente proteruas.
D. Ne timeas, animoq; bono sis cara puella:
Cur trepidas? cur sic metuis? depone timorem
P. In fossam me compellis, vestemq; decoram
Substratam immundo deformas puluere nostram.
D. Virgo mane: subdo mollissima terga libentis
Ne uestem inficias seruesq; à labe nitentem.
P. E heu & tunicae scidisti tegmina parua:
Cur me nudato scidisti corpore linquens?
D. Haec ego prima sacro Cythereae munera diuae.
P. Daphni mane, venit huc aliquis fortasse viator:
Non fallor: strepitus teneras mihi fertur ad aures.
D. fronde loquente probant connubia laeta cupressi;

Et tota alludit blando tibi Sylua susurro.
P. Veste mihi abscissa, nudo sum corpore virgo,
D. Quam abscissam quereris, meliori veste rependam.
P. Cuncta mihi blanda promittis munera voce,
Post salis exiguo non dignaturus aceruo.
D. Immo ego, si potero, hanc animam pro munere soluam
P. Parce Diana mihi, si nunc tua numina laesi.
D. Virginis illa preces nuptae non amplius audit.
P. Iam faciam vitula, qui me deuicit, Amori,
Et niueum Veneri mactabo ritè iuuencum:
Veni huc virgo, domum mulier sed facta reuertar.
D. Immò etiam mater, prolis nutrixq; futura.
Postquam illi inter se florentes corpore blandos
Conseruere iocos, furtiui gaudia lecti
Linquentes, redijt sua quisque ad munia felix.
Haec niueas pascebat oues, iam grata sub imo
Gaudia corde premens, sed vultum obfusa pudore:
Ille armenta boum, iucundo flore potitus.

AD ILLVSTREM EQVITEM Nicolaum Gaddium.

FOrmosus Nireus, expers terroris Achilles,
Cordatus Nestor, dicendi fictor Vlysses,
Mansuetus Caesar, clemens, animoq; benigno
Aeternum scriptis veterum celebrantur in aeuum.
Sed quae priuatim dedit his natura, videmus
Illa tibi cuncta auspicio concessa deorum.
Iactat Creta Iouem, Thebanaq; moenia Bacchum,
Alci-

Alcidenq; vagum, Delos Latonia Phœbum:
At tumet hoc felix tanto Florentia alumno.

EPITAPHIVM PVELLAE.

NEc tibi Pyramidas, nec barbara Mausolaa
Extruxit miseri tenuis fortuna mariti.
Quòd si ea par meritis, summóq; fuisset amori
Excelso iam iam imposuisset Pelio Ossam;
Ferret vt immensum tete super astra sepulchrum.

CONQVERITVR DE SVO AB vrbe discessu.

ET non abire, turpe est,
Et est abire, durum:
Durissima omnium res,
Abire, nec videre
Pulchros meos amores,
Nostram puto ferentes
Discessionem acerbè
Illos domi latere,
Ne scilicet tuendo
Sibi augeant dolorem.
Huius profectionis
Libido colligendi
Aurig, gloriaq;
Est causa: nec sat est iam
Tot me subisse duros

Domi

Domi & foris labores
In artibus colendis
Musarum Apollinisq́,
Laborum ego arbitrabor
Iuueni sat erudito
Dandam vacationem
Et gaudia afferenda
Illi cupidinisq́
Et Cypria beata.
At nunc misellus ille
Rursus laboriosam
Ad vitam & inquietam
Depellitur, maguq́
Cura implicatur atra.
Spreuere qui Mineruam,
Amore perfruuntur:
Nulla à disertiore
Capitur viro voluptas.
Male sit tibi sciendi
Qui primus inter omnes
Praecepta tradidisti.
Hinc cura nulla vitae,
Hinc corpora atteruntur;
Hinc res ruit quibusdam:
Quod duriusq́ nobis
Ob hoc abimus ipsi
Non amplius puellam
Visuri in vrbe nostram.

AD

AD BENEDICTVM MAGETTVM.

QVa tuus vnanimis primo sub flore iuuentæ
Clarorum diuina sequens vestigia vatum
Pierius lusit, quia carmina docte Magette
Et legis, & summis ad coelum laudibus effers.
Quantum iudicio demis, superaddis amori.
Quàm verò tibi sim tali pro munere vinctus;
Tutemet agnoscis, neq; me memorare necesse est:
Sed ne quæ modo conscripsi, immaturior ætas
Excuset, vitio illa mihi me iudice vertes,
Acriter hanc totam si rem perpenderis ipse.
Attamen vt pueris quædam est concessa voluptas,
Aut leporem cane sectari, aut impellere damas,
In laqueos, ceruumq; suis auertere Syluis,
Aut visco, & calamis, & ficta carmine vocis
Fallere auem, aut tremulos captare in flumine pisces,
Aut comitem cursu, aut fluuium superare natatu,
Aut torquere manu iaculum, aut contendere saltu:
Fortasse & mihi nunc licuit pubentibus annis
Per Veneris Charitumq; hortos, per roscida culta
Pieridum sacros sitienti exquirere fontes,
Quà celer Aoniam reclusit Pegasus undam.
Sed nec naturam rerum cognoscere omisi
Tempore in hoc, studio cuius sum deditus alto:
Mireq; incensus primordia rerum
Naturæ abstrusa in gremio, causasq; latentes
Indagare animo: & veri prouectus amore.

Addidici, quid materies, quid dædala forma,
Quidq; foret res ipsa sua viduata figura,
Quæ uis perpetua raperet uertigine cœlum,
Vnde niues, pluuiaq;, & agentes nubila venti,
Et tonitrus, & picta suo Thaumantias arcu.
His iam dimißis studÿs, cursuq; relictis,
Quæ ludunt auidos pulchra sub imagine sensus,
Pauperie cogente sequor te ô prime medentum,
Inq; tuis pono preßis uestigia signis
Fixa pedum. misera perquirens commoda vitæ.

EPITAPH. LYCIDAE PVELLAE.

Si quæris patriam, patria est prænobile Tibur:
Si nomen, nomen virginis est Lycida.
At si artes, formamq́; vetat pudor ipse profari
Hæc de me: Pallas dicet, & alma Venus.
Nam quamuis humili fuerim de gente puella,
Vera tamen Diuæ cuiq; aperire uolent.

EPITAPH. VIDI. VIDII.

Vidius hic ille est, timuit quo sospite letum
Occidere, & viuens quo pereunte uiget.

EIVSDEM.

HOrror Ditis eras Vidi, & mors maxima mortis
Te pereunte timet nil Lutidus Orcus, & atra
Mors rediuiua viget, cunctisq; minatur
acerba.

EIVSDEM.

MVtus es in tumulo Vidi facunde: sed extra
Docta pero ora virum non tua fama silet.

IN EIVSDEM SCRIPTA.

AVt illo dictante hæc scripsit Apollo, vel artis
Vidius est testis fidus Apollineæ.

EPITAPH. MARII ADIVNCTII. I.C.

NOn hic te decorat tumulus, sed tu magis illum
Docte Mari: tanta est gloria honosq; tuus.

AD PLATONEM ADIVNCTIVM I. C.

SI quis virtutum, si quis studiosus honesti,
Siquis doctrinæ nobilioris amans:
Si quis consultus recti, iustiq; peritus,
Si quis & ingenij dexteritate valens:
Si quis gnauus, agens, acris patiensq; laborum:
Si quis sinceræ cultor amicitiæ:
Si quis iucundus, facilis, comisq;, & apertus:
Si quis qui quod habet, non habet ille sibi:
Si quis in aduersis rebus, pariterq; secundis
Constans & fortis, propositiq; tenax:
Si quis dilectus, totaq; acceptus in urbe,
Ne viuam, si non hic mihi care Plato es.

AD RAPHAELEM GRIPHONIVM.

SI Phœbus tales semper præberet alumnos,
Qualem te cuncti nouimus esse viri:
Quod mortale hominum est genus, immortale profectò
Esset, & hinc Stygius nauita semper iners.

AD PHILIPPVM FARSETTVM.

Principis est eadem atq; ignis natura Philippe:
Si procul est, friges: si propè, tristè cales.

IN TVRCARVM POTENTIAM.

Coeli claude fores, atq; ardua moenia mundi
Rex diuûm muni: hac peruia Turca facit.
Namq; mare & tellus Selymo est subiecta potenti:
Ad cœli tantum limina restat iter.

IN VETERINARIVM, QVI dicebatur Sosander, quasi hominum seruator ex Græco.

Hippocrates hominum medicus, Sosander equorū
Diceris, occultæ cognitor artis homo.
Aut artē, aut nomen medici mutate vicißim,
Alter ne alterius nomen ab arte ferat.

AD FRANCISCVM MAYNIVM.

Felix quisquis amat, audetq; sepè
Suas delitias, suosq; amores.
Sed felix mage, qui suos amores
Videns alloquitur, facetijsq;
Et risu tenet, ac lepore dulci.
At felix ter & amplius, facultas
Cui dulces datur alloquendi amores,
Tangendi & simul, ac deosculandi.
Felicißimus autem, & Vndequaque
Beatus, superisq; par, qui amores
Quantum vult, vbi vult, potest, & vt vult,
Suos tangere, vel deosculari.
Expertus tibi dico, id ipsa Mayni.
At cui commoda tam beata desunt,
Is viuit miser, & citò peribit.

AD HIPPOLYTEN PICAM.

Quòd tibi longa coma, & nitido fulgentior auro;
Quod tibi frons tenuis, splendidiorq; vitro:
Quod sua sunt geminũ clarißima lumina sydus:
Quodq; tuo in niueo idscolor ore rubor:
Quòd dens lucidior gemmis, quod labra corallis
Aemula, quòd inte lactea colla nitent:
Quòd superant Parium candentia pectora marmor,
Quòdq; tuo alludunt turgida mala sinu:

Quòd

Quòd tu dulcè loquens, & ridens dulcè puella es,
Quòd quicquid dics, seu facis, omne decet:
Posses Hippolyte multis Cytheræa uideri,
Ni superornaret te pudor ingenuus.
Nam quamuis Veneri similis sis corpore pulchro,
Cætera casta tamen Pallada uirgo refers.

IN DEFORMEM IVVENEM.

CVm sis aspectu fœdus, caue flumina, fontes,
Stagna, Lacus, speculum cōspicere, atq; merū
Namq; sui ut perijt pulcher Narcissus amore
Membra uidens, turpis tu moriere odio.

DE DAPHNE.

PHœbe remitte arcum, durasq; recondes sagittas:
Nam uirgo non te, sed tua tela fugit.

AD PAVLVM ARETIVM CARDINALEM.

QVòd premit immeritò, sacri pars magna senatus
Paule, grauis morbus te, cruciatuq; diu:
Mœsta domus queritur, summoq; incensa dolore
Coelicolis madaido fundit ab ore preces.
Quin tibi, Nestoreos cui quiuq; pyssimus optat
Annos, laniuent Roma beata timet.
Ast ego; qui summo ceu quoddam numen Olympo

In terras lapsum, te veneratus amo,
Si possem tibi uel precibus, vel Apollinis arte,
Aut vi alia dulcem ferre salutis opem,
Pro te non fugerem quaecunq; pericla subire,
Dum tibi prima foret restituenda salus.
Et nunc inuisens thalamo te tristè iacentem
Obseruo morbi sedulitate notas:
Nunc verò diuis promittens munera grata
Suspendo tacitis vota benigna labris.
Huc ades intonsis Paean formose capillis,
Huc ades ò medicae Phoebe repertor opis,
Fer q; salutiferas tecum, quas noueris, herbas:
Dignus hic auxilio est quem tueare tuo.
Summa Sacerdoti probitas, rectiq; cupido,
Mensq; addicta Deo prosit, & alta fides.
Nec populi Patrumq; preces, nec sperne querelas:
Nec ventis tradas irrita vota mea.
Si perit hic, pereo: si viuit, sospes & ipse.
Ergo velis vna sorte leuare duos,
Annue: semper enim grates pro munere habebit
Ille tibi, & reddet debita sacra focis.
Ast ego Pieridum cultor tibi mille rependam
Carmina, quae inuideat caetera turba deum.

EPITAPHIVM LVCIAE PVELLAE.

Li quisti in tenebris homines & nocte profunda,
Ex quo tu extincta es Lucia clara mea.
Sed nec tu extincta es; quin coelo casta refulges,

Et decus es nitidis addita Syderibus.

IN LVCRETIAM PVELLAM dolore mortuam ob adulterium.

Moribus & forma cunctis prælata puellis
Degebam vita tempora læta mea:
Donec raptorem thalamo pro coniuge foui
Blandis, heu nimiùm credula, capta dolis.
Vt sensi, Romana inquam Lucretia háberis.
Vt me pulchra minus, sis quoq; casta minus.
Ferrum aufert adeo: cordi cui iura pudoris,
Illa potest solo fixa dolore mori.
Fixa dolore igitur morior: sic patria mortis
Puniet authorem libera facta mea.

PRIMITIAE.

Haec facili collecta manu de frondibus ipsis,
Rugosam ficum, roscidulumq; pyrum,
Punicum & exardens effracto cortice malum,
Liuentemq; vuam, coeruleamq; nucem
Pomosi custos horti tibi dedico, fures.
Vt procul hinc saua falce Priape fuges.

DE PALLADE ET CVPIDINE.

Saepe Minerua graui tentata Cupidinis arcu,
Impatiens ictus tandem animosa trucem
Apprendit puerũ, & minitans incẽdia & undas,
Ni finem facias, his te ait, interimam.
Cui ridens puer ille, quid in me incendia & vnda?
Mulciber his, illis imperat alma parens.

IN ARDOREM ET LACRYMAS.

VRor, nec lacrymis restinguitur ardor amantis:
Lacrymor, et Lacrymas non bibit ignis edax.
Quin ignis crescit lacrymis, & lacryma ab igne
Crescunt, ò iam vos discite, quid sit amor.

IN PSEVDOCONSVLTVM.

QVid te consultum dicis vir inepte rudisq;,
Si te non vnquam consulit vllus homo?
An quòd, si tu alijs non consulis, ore manuq;
Cuncta aliena petens consulis ipse tibi?

AMOR

AMOR κηριοκλέπτης EX THEOCRITO.

Dum rapit alueolis flauentia mella Cupido,
Sedula furantem cuspide fixit apis.
Ille dolet, sufflansq; manum pellit pede terram,
Et gemit, ad matrem conqueriturq; suam.
Tantillis ait ô genitrix animantibus unde
Tantæ sunt vires? quo feriuntve modo?
Cui Dea subridens, non tu quoq; tantulus, inquit,
Es nate, & tanto vulnere corda feris?

IN TIBICINEN.

Si sic nata Iouis liquidas cecinisset ad vndas,
Numquam abiecisset dulcisonos calamos.
Et tua si audiret suauissima carmina somnus,
Dormiret tepido Pasithea in gremio.

IN OBITVM VIDI VIDII.

Diuina celeber cum Vidius arte medendi
Venit ad Inferni tertia regna Dei:
Indoluit Pluto, timidusq; hæc corpora dixit.
Doctus homo ad uitam mortua rursus aget.

IN STATVAM LAOCOONTIS.

O Vtinam fictor non me de marmore viuum
Duxisset: morsus non ego perciperem.

IN EFFIGIEM QVANDAM.

Docta manus poterat Gorgoni animare figuram.
Sed stupidam fecit, illius & similem.

IN FVREM, EX GRAECO.

SI pedibus quantum manibus Francisce valeres,
In terris esses Mercurius cupidus.

IN DELPHINVM AMANTEM.

DVm puerum delphin expecto in littore frustrà,
Hic miser interij deficiente anima.

IN LAVRVM IGNI TRADITAM.

QVam nec ventorum rabies, nec frigora saua,
Nec grando, aut imbres, nec potuere niues,
Nec Iouis irati fulmen, nec Apollinis ardor,
Aut forma, aut missa vincere verba prece
Turpiter eiectus turpissimus omnium Olympo
Deuicit tristi Mulciber igne senex.
Et fugientem illam, & crepitantem oppressit in ingens
Dedecus & vatum, nobiliumq; ducum.

IN PVELLAM VENENO mortuam.

HIc ne deponas languentia membra viator,
Nā locus haud prorsum est tutus ab insidijs
Namq; ego dum somnum captabam in gramine virgo.
Obrepsit labijs vipera saua meis:
Dumq; os ingreditur, compressa est dente feroci;
Elisa & fudit virus in ore malum.
Ambo vnà emorimur, ambo sepelimur & vnà:
Nam sum facta hosti (proh dolor) vrna meo.

IN AMOREM EX GRAECO.

VLcus Amorem habeo, saniesq; ex Vlcere manat
Aßiduè: luctus scilicet, & lacryma.
Nec quicquā est illud sanabile, & ipse Machaon
Commoda nulla mihi pharmaca ferre potest.
Telephus ò virgo sum, tu sis fidus Achilles:
Atq; eadem morbo, quem facis, affer opem.

IN BALNEVM EX GRAECO.

HIc ubi se Charites lauerunt, vna relicta est,
Balneo, vt è membris splendeat vnda suis.

IN VENERIS STATVAM ex Græco.

NVdam me Paris, Anchises, & pulcher Adonis
Aspexere, at quando, aut vbi Praxiteles.

EPITAPHIVM REMIGII.

REmigius iacet hic. Quaris genus hospes, & acta?
Ni dicto hac teneas nomine, nil teneas

IN OSCVLA.

Dum mihi se facilem praebet formosa Lycoris,
Inq; meo residet sarcina grata genu;
Mutuaq; adsuctis coniungimus oscula labris,
Oscula, quae Veneris non imitentur aues,
Exiluere mei sensus dulcedine laeti,
Spiritus in proprio nec stetit ipse loco.
Quin eger summum pruenit ad vsq; labellum,
Et furtim properans inde migrare parat.
Scilicet vt dominae iucundo exceptus ab ore
Iugiter optato posset amore frui.
Interea afficitur pariter formosa puella,
Atq; anima visa est egrediente mori.
Mira fides, mea dum transit, dum transit & illa
Illa anima est animae consociata meae.
Atq; ita complexu geminus concreuit in vnum
Spiritus, atq; vnus pectora bina colit.
Aequè igitur Veneris iucundum sensit vterq;
Nectar; & illa in me viuit, in illa & ego

AD HORATIVM MALEGVCIVM.

Vnice virtutes cultor, probitatis imago,
Clarae gentis honos, maxima cura Iouis.
Parce per Aonios dū me inclyta Musa recessus,
Fert, tibi si dicto carmina pauca modo.
Non (mihi crede) tuo locus hic est aequus honori,

Et tua iam maius gloria poscit opus.

EPITAPHIVM IVLII GHERARDII.

IVlius hic situs est; sed non tamen hic situs vnus
Iulius; hoc Pallas, nec tulit ipsa Charis.
Sed Sophia, & decor, & probitas rectiq; cupido
Hic vnà, & lusus blanditieq; iacent.

EPITAPH. HOMINIS BARDI

NEc iacet hoc tumulo Iacobus, nec mortuus ille est.
Nam qui non vixit, nec periturus erat.

EIVSDEM.

SVb tumulo malè nunc genetrix te condidit alto.
Nam stupidum poterat te tumulare prius.

EPITAPHIVM HOMINIS inertissimi.

IMmeritò quereris, quòd in hac sis conditus urna
Mortuus, hic viuus nam tumulandus eras.

AD BONACVRSIVM, ET Asdrubalem Gherardios.

SI Charites pueros fas est progignere dicam
Vos Eteocleas progenuisse deas.

DE IISDEM.

PVlchrè conuenit optimis, pudicis,
Et scitis pueris, dicaculisq;
Nec mirum: studia eruditionis
Incensis animis colunt vtriq;,
Et mores similes habent vtriq;
Probos scilicet, integrosq; & ijsdem
Sunt vtriq; iocis cachinnulisq;
Atq; lusibus optimè educati.
Non hic, quam ille, minus decente forma;
Concinni pariter, polituliq;,
Pulchrè conuenit optimis, pudicis,
Et scitis pueris, dicaculisq;.

IN BAPTISTAM PVELLAM.

NEc superant tua labra rosæ, nec colla pruinæ;
Nec crines solis radij, nec lumina flammæ.

AD ANNIBALEM PICVM.

AVt Venus, aut Pallas, vel doctus finxit Apollo,
Te puer: aut potius Pallas, Apollo, Venus.

AD SEBASTIANVM TONDOLIVM & Petrumfranciscum Elmium.

QVis sit amabilior vestrùm dulcissimi amici,
Non ego protulerim, nec queat vllus homo
Dicere. nam virtus si cultu est digna, et amore.
Vos ambo hanc summam quisq; tenere videt.

DE FOEDERE IN TVRCAS.

E Nemore Idalio fuluum Diana Leonem
Expulerat cornu missilibusq; potens.
Aliger ille petit Cretaam sancius Idam,
Ploranti & similis supplicat inde Ioui.
Sedem vastari natæ indignatus amoenam,
Non spreuit surda Iuppiter aure preces.
Et iubet, auxilium præpes ferat armiger ales,
Et Cypram iunctis viribus ire paret.
Ergo animo comites Læto Pia iussa sequentes
Tendunt ad Cypriæ regna beata deæ.
Quam poterit bene vterq; trucem consurgere in hostem?
Hic valet ore ferox, hic valet ungue ferus.

Ni precul aufugiat sæuis armata sagittis
Diana, huic rabido est præda futura gregi.

IN TVRCAS.

LVmine Luna notho credis te posse volucrum
Lædere reginam, dum volat illa mari?
Falleris. hac oculis radiantia Lumina solis
Sustinet, & temnet lumina parua tua.

IN VICTORIAM CONTRA TVRCAS.

CAndida Luna orbem totum complere parabat:
Cornua sed miseræ fracta fuere modò.

IN EANDEM.

Cedite iam pelago pisces, hic armiger ales
Atq; leo imperium constituere sibi.

IN EANDEM.

QVi modò pestifero tot iugera ventre premebat
Terrarum Serpens, & volitabat aquis,
Cunctaq; inexpletùm rapiebat corpora passim,
Tyrrhenis errans Adriacisq; vadis;
Arte nec humana deleri posset & astu;
Perdidit hunc volucris regia lapsa polo.
Namq; illum è pelago fugere, elabiq; uolentem

Corripuit, sæuos implicuitq; pedes;
Sublimemq; tulit, rostroq; atq; vngue cruentans
Exanimum salsis præcipitauit aquis.
Quo facto terras purgauit labe maligna,
Soluit & alii uolans Itala corda metu.
Queq; fretum timuere rates, iam coerula tutæ
Verrunt nec fraudes permetuuntq; dolos.
Omnis iò règinam auium sonat æquoris vnda:
Rura canunt Aquilam, templa, domusq; virùm.
Ergo quid arguitis rapti Ganymedis honores?
Illa Iouis lusus non agit vsq; suo.
Et digna est sacris celebri certamine ludis,
Vt victor phœbus, Pythia qui meruit.

IN EANDEM.

DArdanidum Veneti genus, et Romana iuuentus,
Dux quibus ad bellum præsidet Austriacus,
Argiua cum classe manus, atq; hostibus Afris
Fluctibus in medijs conseruere sali.
Dum pugnat, spargùntq; faces, & spicula vibrant,
Scinduntur dubia seditione dei.
Mars à Romulidis, & Troia Cynthius author
A Venetis toto pectore stare ferox:
At pelagi domitor Danais, Vulcanus, & Afris
Ore fauere, & opem sudpeditare simul.
Adstat Mauorti Cypris, Phoeboq; Diana;
Neptuno Pallas, Iunoq; Mulciberi.
Hæ cupiunt iterum crudeli euertere bello

Relliquias Danaum per Maria alta truces.
Amissos illæ reparare nepotibus optant
Fines, & tumidi tradere iura maris.
Dum studia hæc inter Ventos tenet Aeolus antro,
Descendit uolucris regia syderibus:
Quæ Numidum classem disiecit, & agmina graium
Rostro, atq. alarum præpete remigio.
Hosq. Volans laniauit atrox, & distulit ungue,
Hos fera coeruleis præcipitauit aquis.
Obstupuere metu Iuno saturnia, Pallas.
Aequoreusq. parens, ignipotensq. deus.
Lætitia exultat Mars, Phoebus, Cynthia, Cypris:
Adijciunt superis Austriacumq. ducem.

IN EANDEM.

NOn iã Luna mari fulget, sed mersa profundo est
Lumine cassa. Fretum solis sub luce serena
Nauita percurre: hæc tutum per coerula cũctis
Reddit iter, qui classe parant accedere portum,
Felices degant Vbi Vera tempora Vitæ.

IN EANDEM.

AEneadum mouit genitricem in proelia Iuno,
Quæ Numidũ classem per mare agebat atrox
Ten ait, in pelago mecum pugnare, Dione.
Quæ sum de medio diua creata mari?
Dixit: & aligeri iaculentur spicula Amores

Imperat, & sæuas, tela inimica, faces.
Exequitur mandata cohors fedißima matris,
Incenditq; rates, exanimatq; viros.
Iuno fugit, littusq; petit, montesq; supremos.
Tristis vbi quondam cesserat & Veneri.

EPITAPH. EORVM QVI OCCIDERVNT.

NOn hic funde rosas: petierunt templa deorum
Illustres animæ pro pietate sua:
Aeternamq; tibi vitam, nobisq; pararunt
Otia Christicolis longa per Ausoniam.

EPITAPH. AVGVSTINI BARBARICI.

NOn licuit spectare oculis quæsita Throphea
De Turcis pelago dux tibi clare feris.
Nam tibi quæ eripuit iucundum lumen arundo,
Illa eadem vitam (pro dolor) eripuit.

EIVSDEM.

VIctori lumen tibi barbarus hostis ademit.
Vltima ne caperes gaudia Barbarice.

EIVSDEM.

QVæ tibi dux inuicte oculum traiecit arundo,
Poenè tulit patriæ lumen vtrunq; tuæ.
Nam quod te extincto saluum restabat id illi
Perpetua poterat mergere nocte dolor.
At nitidis allapsa alis Victoria, Luctum
Pressit, & hos roseo fudit ab ore sonos.
Tu modò ne læuum lacrymis perde Adria lumen,
Ipsa oculus posthac nam tibi dexter ero.

EIVSDEM.

VT saluum nouit clypeum, de pectore duxit
Thebanus iaculum dux, obijtq; libens.
Vt benè rem pelago sensit succedere, traxit
Dux Venetum ex oculo missile obire volens.
Lætus uterque perit pro libertate sociisq;,
Lætus et hostiles fregit vterq; minas.
Orati virtute duces, & carmine digni
Perpetuo: ò felix patria, quos genuit.
O priscis potius sæclis oriunde beatis
Dux Venetum, vt sapiens Græcia te caneret.

EIVSDEM.

LVmen eras Venetæ dux illustrissime gentis,
Atq; idem tenebras orbatus luce tulisses
Illi, ni multo per te quæsita labore

Splendorem misera Victoria læta parasset.

EIVSDEM.

A *Ssiduo Veneti perdebant lumina fletu,*
Quòd dux illustris lumine cassus erat.
Non tulit in tenebris Victoria læta iacere
Hos, & se cunctis cernere posse dedit.

EIVSDEM.

L *Ittora pro tumulo ponas, victasq; carinas*
Desuper, vt forti sint pia busta duci.
Ismariumq; nota Mauortem in fronte sepulchri,
Et Selymum, hoc tumulo contege Barbaricum.
Vociferansq; Leo super adsit, qui mea dicat,
Gesta. breui magnum quid tumulatis humo?

AD IOANNEM AVSTRIACVM.

S *I crescente auo crescent tua facta Ioannes,*
Restabit magno nil quod in orbe geras.
Aut deus ergo nouum procudat maximus orbem,
Aut tibi in hoc magno sit capienda quies.

AD EVNDEM.

L *Vminis inuictus redeat si Cesar in oras,*
Inuideat magnis laudibus ille tuis.

IN LACRIMAS, ET SVSPIRIA.

Sic mea perpetuo consumpsi lumina fletu,
Vt lacrimis madeat terra benigna meis.
Tam multa ex imo suspiria pectore duxi,
Vt cœlum implerim flatibus ipse meis.
Quos igitur cernis per prata virentia flores,
Luxuriant lacrymis spiritibusq; meis.
Hos ne in serta legas: suaues non spirat odores
Flos quem luctus alit, tristis & aura fouet.

AD HORATIVM CAPASINVM.

Miraris, quod virgo niue frigentior ipsa
Vsserit accensa pectora nostra face
Miror ego potius, non extinxisse fauillas
Me tristi fletu, qui rigat vsque genas.
Sed, quo discat amans, quæ sit volitantis Amoris
Vis, sic ipse facit mira proteruus Amor.

AD HORATIVM MALEGVTIVM.

Quid faciam? studione tuo commotus Horati
Ardua suscipiam vir rudis ipse nimis?
An tibi quem merito plus quā me diligo, cuiq;
Sentio nunc carum me esse, negabo tacens?
Vincat amor: malo imprudens, quàm ingratus haberi;
Criminis & consors tu quoque forsan eris.

AD

AD EVNDEM.

DE summo studio tuo, atq; amore
Erga me eximio atq; singulari
Non minus doleo venuste Horati
Quàm lætor: siquidem, licet supremis
Semper me officijs iuues ob illam,
Facit iudicium tuum retundens
Ille, vt de ingenio meo, meisq;
Litteris ea sentias, quibus uix
Respondere valens subibo crimen
Post insignis ineruditionis.
Ergo desine amare me supremo
Amore; aut caue, ne tuum retundat
Amor iudicium supremus acre.

AD ALEXANDRVM CORBOLVM.

TVne fuga credis vitare Cupidinis arcum?
Falleris instabit dirus vbiq; tibi.
Si celer extremos adcurras territus Indos,
Hic iaciet volucres in tua corda faces.
Aëra si ascendes, pennis volat ille fretumq;
Si petis, hic nudus se citò merget aquis.
Nullus ab insidijs locus est tibi tutus Amoris,
Est & vbiq; ferox imperiosus Amor.

DE ASDRVBALE BAMBASIO.

SI Cytharam tractat Bambasius, æmula semper
Ille tuis numeris carmina Phoebe canit.
Idem si vultum profert crinesq; decoros,
Crinibus & vultu est æmulus ille tibi.

AD TARQVINIAM MOLSAM:

NOn ego tentarim laudes includere versu
Mulsa tuas, ille non coeli posse videntur
Orbe capi quare potius te o rara puella
Mirabor tacitus ceu lapsum numen ab astris
Quàm dicam, magnos tenuans male sanus honores.

EPITAPH. CAROLI DOFREDII. I. C.

NOn eget externis vir clarus laudibus. Ergo
Donfredi hic tantùm corpus inesse scias.

AD TARQVINIAM MOLSAM.

VNo eodemq; agni tum mollia pectora duras,
Tum dura emollis foemina casta virùm
Qui molles spectant te, in saxa rigentia vertis
Lumine, & es saua Gorgone saua magis:
At me, qui in tueor alta simulachra remotus
Mentis clara tua, & saxea corda gero.

Flatu os, unda oculi, pectus & igne meum,

AD LYCORIM.

QVæ tibi morsa doles, dum dormis, virgo labella,
Non ego perstrinxi. non mea vita, furens.
Improba apis dulces florenti ex ore liquores
Ambrosiæ excipiens, oscula sæua dedit.
Nec mirum, roseo quòd apis consederit ore,
Ex quo melle fluunt dulcia uerba magis.

AD AMICAM IN CONVIVIO.

NOn sum vinosus: sed cum me explere Falerno
Vis, prægustato pocula: deinde libam
Nam si contigeris pateram summo ore venusto,
Cur Bachi metuam sumere dulce merum?
Namq; calix transfert infusa sibi oscula, dicens,
Accipe quæ nobis basia amica dedit.

AD AEMYLIAM PVELLAM.

SI quem fortè virum rabidus canis ore momordit,
Huic canis effigiem splendida monstrat aqua
Sæuus Amor fixit rabidos in pectore nostro.
Dentes, & cæco vulnere semper agor:
Pontusq;, & fluuij, fontes, & stagna, lacusq;
Ostendunt formam, tum mihi vina tuam.

IN AMOREM.

ARmaui pectus ratione aduersus Amorem,
Nec solus solum me superabit Amor
Mortalis pugnabo deo: auxiliabitur illi
Sin Bacchus, contra quid faciam ipse duos?

DE CONIVGIO.

NOn amo coniugium vetulæ, teneræ ve puellæ:
Nam ueneranda alia est, est miseranda alia.
Nam nec passa iuuat, nec acerbior vua iugali,
Commoda matura est. aptaq; forma thoro.

IN VINVM.

INfantem Nymphæ Bacchum, cum prodijt ille,
Ex igne, abluerunt sordidum adhuc cinere.
Hinc multa est Baccho cum Nymphis gratia: at ignem,
Ardentem capies hunc nisi dilueris

IN AMOREM.

QVid mirum, si ridet Amor, si sæuit, & vrit,
Si torquet facili spicula dura manu?
Ridet & ipsa Venus, pelagoq; exorta furenti.
Est eadem, & Marte Mulciberoq; placet.

Risum

Risum ergo genitrix, iram mare, Mulciber ignes,
Marsq; ferox illi tela cruenta dedit.

IN SILVIAM.

ERrabat mea Vita vagi propè Typridis undam
Quà circum viridi flore renidet humus.
Et nunc formosa carpebant lilia dextra,
Nunc dulces lacrimas pulcher Adoni tuas,
Nunc te flebilibus moerens Hyacinthe figuris,
Et nunc ridentes mollia fila croci:
Nuncq; rosas tenero rutilantes vngue metebat,
Nunc te perpetuo flore Amaranthe uirens
Et studium cantu cupiens mulcere legendi
Nectebat tenui rustica uerba sono,
Interdum auditis auium concentibus hærens
Tentabant querulos voce referre modos:
Ast vbi multiplices collegit sedula flores.
Quos strophio, & pictis læta refert calathis
Lacteolum molli reclinans corpus in umbra
Temporibus coepit serta parare suis.
Ergo caput plexis gaudet redimere corollis.
Et vario niueum pingere flore sinum.
Inter opus placidos inuitat carmine ventos
Vt leuis estium temperet aüra diem,
Doctaq; post calamos labro percurrit abunco
Et variat dulci murmura blenda sono:
Ad quæ nutanti responsat uertice quercus,
Ludit & argutis pinus opaca comis.

Hic

Flumine, & est dulcis reddita lympha tua.
Tum graditur stellata rosis, & tecta reuisens
Dilecta matri dona beata tulit.
Desuper; & calathos inuertens vere rubentes
Iucundo totam sparsit odore domum.
Illa breues quocumq; pedes inflexerat, alma
Pro spinis violas terra tulit gremio.
Illius, & crinis circumiactauit odorem
Ambrosium, & nitidus fulsit in orbe dies.

p. 150. in Maeronis Eclo: interseruerim. Quas habitat solus moerens ...
et proximos iuuentem. O formosae ...
Hec ita reponenda sunt

Luq. decus patriae, Antoni, ac hinc tuis;
Atq. iuuentutis spes o fidissima nostrae,
Tuscia quo late se tellus iactat alumno,
Et cui emeritos iadsim meditatur honores,
Si uacat, hanc nostra remissam ne despice Musa
Dum ipse hitireas Tyrreni fluminis undas
Hec tibi diuini lusus imitata Maronis
Dona licat nostrum quae testificent amorem.

ROBERTI
TITYI BVRGENSIS AD ANTONIVM MELIORIVM CARMINVM.

LIBER PRIMVS.



ROBERTVS TITYVS PRECLARISSIMO VIro summoq; literarum fautori

ANTONIO MELIORIO Patrono suo. S. P. D.



Vum multùm, diuq; me cũ ipse cogitarem, Antoni vir præstãtissime, quanam potissimũ ratione pro tuis erga me innumeris beneficiis grati animi specimen aliquod præbere possem, méque grauissimis vndique difficultatibus circumuentũ sentirem, cum propter ingenii mei imbecillitatem, tùm propter onus mihi nuper iniunctum ex optimi Principis liberalitate, qua me inter florentissimæ suæ Pisanæ Academiæ adolescentes cooptauit, vt mihi noctes, diesq; iuris prudentiæ studiis incumbendũ sit,

ſit; ne ſe tantum beneficium malè omninò collocaſſe exiſtimare poſsit, occurerunt noſtri illi luſus, ad quos olim diuertere conſueui, ſi quando à ueterum poetarum lectione diſcedens, igniculos quaſi quosdam animo concepi, qui me ad eorum imitationem inflammarent, & quamuis illi ſint huiuſmodi, vt ſi in vulgus exeant, inſcitiæ, & arrogantiæ notam ſint mihi potius, quam laudem aliquam conciliaturi, volui tamen & amicorum conuiciis, & meo erga te officio aliqua ex parte ſatisfacere, vt intelligant omnes hac in re me peruicaciæ, ingratiq; animi crimen fugere malle, quàm dignitatis meæ rationem habere; tu quicquid eſt æqui boniq; conſule, certe poſthac operam dabo, vt, ſi quam de me opinionem geris, non vſquequaque vanam, ac falſam reddam. Vale. imbibisti

Ex Academia Piſana. Kal. April. Anno. M. D. LXXII.

Hic (rectè memini) suspiria prima dedisti.
Hic Amarylli meam primùm tute ipsa vocasti
Et florem, & violam, primùm & mihi fraga tulisti,
Ac dulci primum dixisti munere amantem:
Hic etiam longos æstiuo tempore soles
Fallere cura fuit grato sermone, iocisq;,
Et durum molli requie condire laborem.
Quæ mecum repeto si quando, ac mente reuoluo,
Insanos pariunt, tristesq; in corde dolores,
Omnia namq; tulit rapidus promissa per auras
Ventus, nec quicquam firmumq;, ratumq; tuetur
Spreta fides: non sic olim mihi rite per arcum.
Perq; faces Veneris pueri; per spicula acuta
In nostrum coniecta latus iurare solebas.
Quod iam si qua Deos pietas, factiq; nefandi,
Cura tenet, dignam referes pro talibus ausis
Mercedem, ac tanti sceleris fortasse pigebit.
Ast ego qui interea fatalia limina adibo,
Quàm primùm & linquam infelicis lumina vitæ,
Hoc solo contentus ero, mihi mortis amorem,
Seruatamq; fidem causam (te teste) fuisse;
Tuq; olim velles, quùm te tua cura remordet,
Et poscet meritas vltrix Rhamnusia poenas,
Mutare ingenium, moresq;, & scindere cautes
Pectore, & ingratos animi deponere fastus.
Sed dura insolita cernes tunc morte peremptum
Macronem, & circum tumulum spectare licebit,
Hic vbi tu florem primum, & mihi fraga tulisti,

Insculptos versus, relegat quos serior ætas;
Infœlix Macron iacet hic, Amaryllidis ira
Extinctus; lacrymant montes, lapidesq; rigentes,
Ipsa sed haudquaquam crudelis morte mouetur.
Tunc tua læta nouo clarescet fama triumpho,
Magnaq; laus fuerit miserum sic perdere amantem,
Ergo age signa pete, ac Veneris perferre sacellum
Festina: expectant ingentia præmia laudum
Tantarum victricem, & laurea serta merentem.
Nos miseri ante diem moriemur, læta quadrigis
Ipsa vehere caput viridanti cincta corona,
Et plausum excipies, & sydera vertice tanges.
Hoc est, quod macie affectus, turpiq; veterno
Sæpe fui, & fessos repsit mihi dira per artus
Pernicies: hos ipsa volunt sibi somnia casus,
Somnia terrificis animos agitantia monstris.
Insuper, & multa haud dubiæ præsagia cædis
Oblata inspexi, ni mens mihi læua fuisset;
Certũ Amarylli mori est, nostrorum hæc sũma laborũ,
Mors adimet curas, mors omnia vincla resoluet:
Nunc moriamur age, at tu nostris læta triumphis
Incedas Tyrio latè spectabilis Ostro
Vos noti colles, vos pinguia rura valete,
Vos dulces cerasi, positæ vos ordine vites,
Insertaq; pyri, vos & mea turba capellæ,
Grex infelicis pastoris cuncta valete.
Non ego vos posthac pendentes rupe videbo,
Nunc frondosa auidè tondere arbusta petulco

Morsu, nunc cythisum mentamq; herbasq; virentes,
Non ego vos pastas deducam ad flumina potum,
Hoedorum ve greges claudam praesepibus altis,
Hac magè felicem pastorem cura mouebit,
Qui facilem tulerit numquam despectus amicam,
Nec dominae infensae flammatas senserit iras.
Iam valeant pedicae, distinctaq; licia nodis
Tortilibus, varias queis cùm captare volucres
Sueui, dùm grauidas segetum populantur aristas,
Siue petunt dulcesq; dapes praedamq; recentem
Sanguineas inter baccas, lapidosaq; corna.
Ite simul paßim liquidas impunè per vndas
Pisces, & notis iuuet indulgere choreis:
Namq; iacent cistaq; leues, hamiq; rapaces,
Et calami, nassaq;, & viminei labyrinthi.
Et tu Caparion, semper quem maxime amaui,
Fida canum soboles, caulis, pecoriq; tuendo
Assuete, ac Poenos aggressus dente leones
Fundere humi, atq; omne inuictus genus acre ferarum
Post nostri interitus iterumq;, iterumq; valebis,
Et memorem domini curam seruabis amorum.
Ac tu blanda mei requies, mea sola voluptas,
Solus amor, nostriq; leuamen grande laboris
Fistula, pallenti pendebis muta labello.
Tuq; Amaryllis tuum satia nunc sanguine pectus
Ebibeq; optatum nostra de caede cruorem.
Sic dixit Macron, ensemq; in viscera condit,
Atq; simul fudit dulcem cum sanguine vitam.

Nunc

Nunc hic pastores celebrant longo ordine pompam,
Thuricremaq; ferunt aræ sua dona quotannis,
Imponuntq; focis bene olentia thura Sabæum,
Et spargunt violas, biferique rosaria Pæsti,
Ter conclamantes, ter manes voce vocantes,

DE ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS. D. D. Errico, & Camillo Caietanis.

ADsis Phoebe volens cithara meditatus eburna
Magnorum laudes iuuenum, præclaraq; gesta;
Dic age quo prisco niteant splendore corusco
Troiana antiqua Caietæ a stirpe superbi;
Vnde per innumeros ducentes stemma nepotes
Nunc surgunt iuuenes altæ duo lumina Romæ
Nobilis Erricus, nec non minor ipse Camillus,
Ipse ætate minor, sed par virtute Camillus,
Qui nunc certatim cupientes grandia factis
Facta æquare suis, nec tantum quærere laudem
Maiorum ex fama, quos iam Caieta creauit,
Coniungunt alacres studiumq;, artemq; Mineruæ
Et cultum ingenij Parnaßi ex fonte petitum,
Ac vt doctiloquis exornent pectora dictis,
Vnanimes nullo moti discrimine rerum
Immensas & opes, & regna antiqua parentum
Linquunt, ac multo benefacta palatia sumptu,
Et Perusina simul legum penetralia visunt.
Hic solida incensi miro virtutis amore

Iugiter

Iugiter incumbunt studijs noctesq́, diesq́.
His indefeßa lingua Cyllenius vltrò
Copia adest, artemq́ docet, normamq́ loquendi,
Qua poßint magnos animi, variosq́ ciere
Motus, & grauium percellere corda virorum,
Si quando orabunt causas spectante corona
Sanctorum patrum, proceres ipsi ante verendos
Conspicui iuuenes, quibus audet Romula tellus
Totius antiquos orbis sperare triumphos.
His Phoebus, Musæq́ fauent; numerosq́ canoros
Vatibus instillant, totumq́ Helicona recludunt,
Pandentes sedesq́ pias, & amæna vireta
Nympharum aßiduè leuibus celebrata choreis,
Ac doctæ præstant fronti circumdare laurum,
Decerptam laurum Phoebi, Martisq́ duellis,
Et Caietanæ Virtutis amabile pignus,
Seruatum longa serie per lapsa retrorsum
Sæcula, & innumeros venientes vsque nepotes.
Sed iam (certa loquor) maior sacra tempora cinget
Aurea flammiferis baccis variata corona,
Et dabitur latè imperium, Romamque tueri,
Atque ad se cunctos populos frenare vocatos:
Hi fines Italos producent, Phoebus Eoo
Quà nobis rutilans se se mortalibus offert,
Quàq; petit celeri cursu maris æquor Iberi.
Hos etiam accedet supplex Germania pubes
Deiectis armis, veteresq́ oblita tumultus
Gallia deponens animos, fastusq́ superbos,

mercuriu... / ... (handwritten margin note, partly cut off)

Et dominam rerum cupiens agnoscere Romam
Obsidibus missis sese illi deferet ultrò
Ac totus veniet tandem placidissimus orbis:
Fœlices ergo iuuenes, meritoq; beati,
Stamina si ducant vobis fatalia Parcæ
Longius, ac serò decidant tenuia fila.
Fortunate pater gemino splendore superbus
Natorum fœlix ò rerum maxima Roma
Quæ gremio interdum iuuenes seruasq; fouesq;
Vt regere imperio valeant, sceptrisq; potiti
Iura dare euictis Parthis, belloq; fugato
Nominis Italici communi protinus hoste,
Reddere pacatas gentes, orbemq; quietum,
Romanumq; Iouem raptis ornare trophæis

AD IVLIVM ANGELIVM Bargeum.


DVm te Barga tenet, dũ nos Alphœa moratur
Dictauit versus hos mea musa rudis,
Quos placuit subiisse tuam normamq; grauẽq;
Censuram, Iuli gloria Pieridum.
Ipse etenim nostros æquiq; boniq; labores
Consulis, exiles nec renuisse iuuat:
Quæq; tua est probitas, celebras doctosq; grauesq;,
Quamuis sint tenues, & satis illepidi.
Accipe nec cupidi, quamuis leue, munus amici
Contemnas, læta si tibi fronte damus.

GEPHYROMACHIA PISANA.

AVrea lux cœlo vt primum demissa sereno
Affulsit terris, qua priscos læta iuuentus
Exercere solet ludos, atq; annua magno
Sacra referre suo Marti de more paterno.
Armatur fortis pubes, dextrisque capeßit
Fulmineos enses, atq; ipsa refulget in armis.
Est locus, obliqui iungit qui tramite ripas fornice.
Spumantes Arni, & pedibus vada concaua reddit
Peruia, qua Alphæos flumen prælabitur agros
Hic est ancipitis latè certaminis ara:
Huc tendunt cupidi iuuenes argentea signa
Sectantes, hic ipsa duces tentoria figunt.
Altera pars belli graditur, vultuq; minatur,
Et celeri properat gressu contingere arenam.
Interea nemus omne tremit, collesq; resultant,
Ac sonitu horribili franguntur fluminis vnda,
Et mare vicinum reboat clangore tubarum.
Stant hinc inde acies tectæ radiantibus armis
Expectantq; ducum quæ sit sententia pugnæ.
Ipsi inter proceres varios cum corde volutant
Euentus belli, melius quo vincere pacto,
Quoue modo poßint turmas subducere, iniquà
Si sic sors tulerit, victriciaq; arma cauere.
Qui postquam satis, atq;, super iam consuluissent
De summa belli, pro re tunc pauca locuti,

Hortantur

Hortantur socios, & palmæ, præmia monstrant.
Cornua confestim sonitum dant æraque clangunt,
Buccina bella canit, legio clamoribus hostem
Prouocat alternis, & vultu prælia poscit.
Sed cum iam propius ventum est, latèq; vagatur
Vndiq; Mars dubius, certatim dura iuuentus
Hostem conatur capta depellere sede,
Altera & alterius spoliis, castrisq; potiri.
Cæduntur fortesq; duces, iuuenumq; cateruæ
Spirant magnanimam transfixo pectore vitam.
Atque adeò innumeri miserè capiuntur vtrinq;
Quos nimis ardentes stimulis victoria pungit.
Iam Sol purpureos properabat tingere crines
Aequoreis vndis, venienti & cedere nocti,
Dum volat huc illuc dubiis victoria pennis,
Incerta aut quo se sistat, aut vnde recedat.
Ergo inter ferrum, magnos & stragis aceruos
Inter mille neci iuuenum data corpora quærit
Martia gens solidæ, ac optatæ præmia palmæ.
Intereaq; duces fessos subducere bello
Et reparare nouas acies, & subdere tela,
Atq; aliis scutum, ensem aliis, aliisq; sagittas
Præbere, hortariq; suos ad prælia euntes.
Bellum instauratur, totis & viribus itur.
Tabificus veluti cum Sol, mitisq; Fauoni
Flamina Sythonias glaciesq; niuesq; resoluunt,
Imbribus obiectas stagnantia flumina ripas
Prætereunt, sic auctus aquis cædisq; cruore



Per

Per campos sine more furit circumfluus Arnus
Sanguine & aequoreas latè maris inficit vndas.
Hic cernas priscos Heroas: acris Achillei
Hic est Aiacis virtus, Diomedis, Vlyssei
Atq; illic contra pugnantem praelia magnum
Hectora, & ingentem spectes Sarpedona, & vsq;
Si qui alii doctis celebrantur carmine Graiis.
Sed quid iam splendent Tytania sydera caelo,
Eripit & rebus cunctis nox atra colorem,
Signa petit miles sua quisq;, & nocte iubente
Abstinet à pugna, donec noua lumina Phoebus
Afferat, & circum flammantia sydera pellat.

Heroas priscos hic cernas.

AD FRANCISCVM MVGGHIONIVM.

Qui tibi nunc possum dignas persoluere grates,
Offici ve tui memorem me ostendere saltem
Francisce, ingrato ne te fecisse benignè
Credas, inq; hominem durum benefacta locasse?
Nil opibus, nil ingenio, nil denique possum
Viribus exiguis: nam pro te mille subire
Non verear mortes, mille & discrimina rerum
Tu me iuuasti officio, studioq; perenni,
Tu me consilio dubiis in casibus vrges
Atque animos addis, si quid succumbere sentis:
Tu mihi te comitem praebes, grauiumq; laborum
In partem simul ipse venis, simul omnia tentas,
Atque iuuas opibus, meq; ad maiora reseruas.

Sed, si etiam volumus magnas percurrere dotes,
Ingenÿq; nouos, variosq; expandere cultus
Tu multum sophiæ studÿs, tu carmine polles:
Tu penetrare vales quicquid natura negauit
Omnibus, & cæcis latebris, mersitq; profundo.
Solus Apollineâ tu dignus fronde corona
Tempora cui cingat Permeßi ad fluminis vndas:
Tu medicas artes cœlesti munere tractas,
Atq; homines reuocas medÿs è faucibus Orci.
Appositus mirè tu vrbanis rebus agendis.
Tu decus es patriæ, tu ornamentumq; supremum.
Sed quid carminibus pergo tenuare minutis
Eximias laudes, & facta ingentia cœlo
Aequanda his leuibus numeris comprendere conor?
Maius opus moueo de te Francisce, quod vlla
Deleat haud ætas, non inclementia cœli,
Non Iouis irati terris demissa corusca
Fulmina non si quid pote fulmine tristius esse.
Interea tantum tibi me dixisse iuuabit,
Ne pigeat memorem nostri te summere curam.

AD IVLIVM BARGEVM.

SIc mihi longæua concedant fata senectæ
Fata dies, multosque olim consurgere soles;
Sic numeris Phoebusq; potens, doctæq; sorores
Me fontis gelidi vitreos gustare liquores
Permittant, auidamq; sitim compescere lympha:

Vt te perpetuo celebrabo carmine Iule,
Aureaq; extollam venerandum nomen ad astra.
Et quamuis per se pateat, nihil indiga nostra
Laudis, & ad Diuum aethereas tua viuida uirtus
Sternat iter sedes: nunquam tamen illa camoenis
Absque meis vadat, nostri quae pignus amoris,
Atq; animi sint indicium, tibi namq; quod usquam
Aut sumus, aut etiam scimus, debere fatemur.
Verum angusta premunt quoniam nos tempora vitae,
Nec puero ascensu facilis Parnaßia rupes:
Haud equidem ingrediar tantas tibi dicere laudes,
Ac numeris efferre nouis (quasi nomina ponto
Facturus) quaecunq; animus nunc expetit ardens:
Ipse olim forte auspicio meliore caneris,
Cum firmata suos fructus dabit auctior aetas,
Mirum quanta mihi sint gaudia, quanta voluptas
Laetitijs animum innumeris perfundere tendat;
Dum tacitus mecum reputo, quam sydere fausto
Ad te primum adij uerae virtutis alumnum:
Doctrinaeq; tuae miro inflammatus amore,
Vocibus hisce, meus quas in te amor exprimit unum,
Hortor ouans; Perge Ausoniae, perge inclyte honorem
Reddere Iule suum, nostroq; ex orbe ruentes,
Et iam iam amissas repara doctißimus artes,
Nec posthac patiare feros accedere Gallos
Germanosve truces, & quos habet Ister, & Indus;
At vigeat semper studijs Oenotria tellus,
Et quantum imperio valuit, nunc munere grato

Per te (namq; potes) tantum se tollat in astra,
aureus
Et superemineat quos luteus aspicit omnes
Sol populos, lateq; italum sonet undiq; nomen.
Tuq; adeo nostraq; decus, spesq; una iuuenta
Viue diu, memoremq; mei (si poscere tantum
Mi licet, & patitur probitas tua) suscipe curam.

AD HORATIVM CAPONIVM.

Vos mihi Thespiades postremum hoc dicite carmen.
Et mecum pueri laudes celebrate canendo,
Formosi pueri, quo exultat Tuscia tellus,
Semper & in maius producet gaudia fœlix.
Tuq; potens numeris, & carminis auctor Apollo
Linque volens gelidos fontes, notosq; recessus
Parnaßi plectroq; chelyn percurre canoram.
Teq; puer multum ne dedignere rogamus,
Nec tua mens nostrum cultum aspernata refutet,
Sed mecum inceptum latus partire laborem:
Macte bonis animi, proprioq; insignis honore,
Macte tua virtute puer, cui Dedala tellus
Vndiq; Acidalio summittit semine flores,
Cui ponunt venti, cui rident aquora ponti,
Cui Cypris, Charitesq; leues ductare choreas
Assueta exultant, & circum tempora Amomum
Nectunt, Ambrosiamq; & Poeoniam Panaceam
Fundunt, ac grata instillant opobalsama leta.

Te primum excepit venientem in luminis oras
Pulchra Venus Pallas complexum fouit in vlnis,
Primaq; neniolas, & murmura blanda parentum
Ad cunas cecinit, somnumq; induxit ocellis.
Hæc deinde instruxit mira tua pectora dote,
Ingeniumq; dedit, caussasq; videre latentes
Te mente illustri voluit, nimiumq; sagaci:
Hinc te Mercurius vario contincta lepore
Verba loqui docuit, queis cum percellere corda
Par sis, atq; animos hominum, sensusq; mouere.
Ipse faces linguæ, perterricreposq; fragores
Sæpe hausi, intentusq; oculis tua dicta notaui,
Siue graui increpitu, vultuq; immania sontis
Crimina persequeris, preclara ve gesta bonorum
Concelebras, meritasq; vocas ad sydera laudes,
Quin ego susceptæ culpæ mihi conscius ipse
Nonnumquam timui, & faciem pallore notaui,
At si quod dignum facinus fecisse uidebar
Mecum ipse exultans mirè lætatus abiui,
Et perculsum animum veræ virtutis ab oestro
Persensi vitij prorsus, scelerisq; rebellem;
Tanta fuit linguæ exculta suadela, Venusq;.
Insuper Aönides, dulcis mea turba, sorores
Permessi latices, fontemq; haurire Heliconæ
Iusserunt, solumq; sibi diuortia nota
Monstrarunt, iuuenemq; uias duxere per omnes,
Quà ver assiduum floret, quà lenis in aura
Colludit Zephyrus, quà multo è semine odores

Halat humus, riguas qua fontes laurus opacat,
Laurus tortilibus ramis innexa, sequacis
Aut hedera aut alio lenè olentis vimine planta.
Hic artem explicuere tibi, legemq; canendi,
Quæ te mollicula iuuenem commendet amicæ,
Aut referat Troiæ excidium, fraterna've Regna
Decertata odijs, iras've immitis Achilli.
Ipse ego te querulas moderantem pollice chordas
Audiui, & liquidas uoces his auribus hausi.
Quin idem ipse aderam, traheres quùm montibus ornos
Flexi pedesq; hederas, & amictas uitibus ulmos:
Ardua nudato descendit fraxinus Aemo,
Aeriæ platanus, hirsutaq; vertice pinus:
Affuit has inter metas imitata cupressus,
Enodisq; abies, cuneis & fissile robur.
Cum Syluis tractim venit genus omne animantum:
Vndiq; cernere erat rapidorum sæua luporum
Armenta innocuos inter secura Molossos,
Ludere concordes varia cum tigride damas,
Et passim Geticos posita feritate Leones,
Setigerosq; sues, acresq; in proelia lyncas.
Quin etiam steterant ripis mirantibus amnes:
Pigrior astrictis undis Oeagrius Habrus
Torpuit, & rupti contemptor pontis Araxes,
Eufratesq; uagus, tortoq; simillimus angui
Meandrus, placideq; fluens per prata Caystrus.
Sol itidem medio tibi cæli in vertice fixus
Substitit, atque noi requierunt sydera cursus.

Dulcius

Dulcius haud unquam moestos Rhodopeius Orpheus
Concinuit versus, stygia reuocare palude
Quùm vellet fidam Euridicen, seu pectore toto
Quùm arderet Calaim, et Calaim nemus omne sonaret.
Non sic quùm medias se se coniecit in vndas,
Ortyacum tremulo modulatus gutture carmen
Rettulit ad cytharam olim Methymneus Arion.
Quid formam egregiam referam lumenq; iuuentæ?
Quid mores, blandosq; iocos, dulcesq; lepores?
Ipse quibus captus lento consumor ab igne,
Atq; vror latè circum præcordia totus.
Non tibi nobilitas ingens, non magna tuorum
Gloria, nec clari virtus spectata parentis
Desit, & antiqui monumenta insignia honoris.
Te fortuna bonis auxit, tibi iugera culti
Donat habere soli, & facundos vbere glebæ
Præstat agros, ingens & pondus diuitis auri.
Ergo fœlicem meritò, meritòq; beatum
Nos te dicemus, largo qui munere cœli
Tot tantisq; bonis animiq; & corporis vnus
Affluis, vt velle, [redacted].
Certè ego si superem, atq; tuos me fata viriles
Posse videre sinant annos, tua tecta subibo
Lilia Pæstanis iaciens selecta viretis,
Purpureasq; rosas, & viuaces Amaranthos:
Atq; tuum plena venerabor nomen acerra.
O formose puer, cuius perpulchra Dione
In cupidus blandos oculis afflauit amores,

Affluis, ut velle, ipse tibi nil possis Horati,
Quod non antè Deus totum transfuderit in te,
Præbueritq; libens diti bona copia cornu.

Non ego deterere ingenii iam persequar ultrò
Innumeras laudes animiq; insigne decorum.
Sed colophoniaco celebrari carmina digna
Linguam, nec frustra deserta per ardua tendam
Segnior ire, colunt quæ Muse, & pulcher Apollo
Cara Iouis soboles, & quos deus aspicit æquus;
At mecum tacitus recolens sub pectore fixa
Semper habebo tua solida vestigia, & alta
Virtutis, casto pronus cui corde litabo.
Quòd si me Aönidùm concedat turba sororum
Auspicio meliore sacras Aganippidos undas
Haurire, ac tandem sistant me in vertice Pindi,
Ipse tuas laudes iactabo ad sydera cantu
Suauidico, nomenq; super Garamantas, & Indos
Auroramq; super celebrabo, atq; ultima Thulê.
Nec magis ingenti adijcient tibi nostra decorem
Carmina, quam mihimet pariant tua nomina famam

AD FRANCISCVM MVGGHIONIVM.

FRancisce absentem absentem cernere amicum
Nos non posse, tuo colloquioq; frui?
Tu mihi pars animæ potior, tu maxima cura
Cum mei sis, valeam te caruisse diu?
Non, si quicquid habet diues Pactolus harenis,
Accedat cumulis dulcis amice meis:
Non, si quam Libycis excerpit rusticus agris,
Horrea perrumpat pondere nostra seges:

Non si Socraticas superem vel Peonis artes,
 Ingenioq; meum nobile nomen eat.
Sed tecum reliquæ malim traducere uitæ
 Tempora, quæ nobis fata benigna dabunt.
Riuum propter aquæ uiridi nunc stratus in antro,
 Percurrens digitis fila canora lyræ:
Et modo crudelem referens, modò ritè benignam;
 Sed numquam talis nostra puella fuit:
Nunc dulcem vitreo captans in gurgite prædam,
 Quæ tenues ornet plurima inempta dapes:
Nunc cingens canibus saltum, nunc dente timendum
 Excipiens ferro puluerulentus aprum:
Nunc tereti filo distendens retia cautè,
 Omnibus aereis heu male nota feris:
Nunc flauum Tyberim perfusus corpus oliuo
 Ingrediens, fines quà secat amne meos.
Nunc cum feruentes diffindit Syrius agros,
 Sub platano solans tedia longa viæ:
Nunc uario sermone iocos, dulcesq; lepores
 Intexens, dum sol mergitur Oceano.
Faucibus & siccis interdum plurima latè
 Securus ducens pocula larga mero.
Omnia sint potius Francisce hæc commoda uitæ,
 Hæc tecum potius gaudia percipiam.
Nil sine te nostras pote quicquam abstergere curas,
 Nil sine te nobis candide amice places.
Hic me conturbat quicquid solet esse leuamen
 Curarum, hic risus, blanditiæq; nocent.

Hic Mopsopia mella absynthia tetra videntur,
Et sapiunt tristi tristius helleboro.
Malobathrum hic, udumq́; apium, Assyriiq́; liquores
Non mulcent sensus, nec rosa pulchra iuuat.
Hic altas Phoebus tenebras afferre videtur,
Et semper nocti sydera amica nitent.
Sydera amica nitent, sed non vt saepe videre
Consueui, dum tu care sodalis ades.
Hic mihi perpetuò fuluis nox incubat alis,
Delia amatoris Latmia saxa tenet.
Hic magnum exitium vita mihi cuncta minantur,
Hic bubo nostras concinit ante fores:
Et iam languor iners graciles inuasit in artus,
Instanti, & misero lumina morte notat.
Tecum dulce mori, tecum mihi uiuere dulce est;
Tecum viuere amem, tecum obiisse velim.

AD PLATONEM ADIVNCTIVM.

PArce Plato unanimis, dulcis mea cura, sodalis,
Si penitus de te pagina nostra tacet.
Omnia Flamma sibi iamdudum carmina poscit,
Atq; in se versum detinet ingenium.
Mille mihi causas scribendi suggerit, & cor.
Nostrum habet occultis ignibus implicitum.
Sic non urar, vt hoc me perpetuo cruciatu
Non dico insanum, sed sine mente facit.
Iam mihi vis animi decessit pectore toto;

Iam mihi nil superest, cur me hominem vocites
Quare mirari iam prorsus desine, nomen
Si nullum praefert pagina nostra tuum.

AD FLAMMAM PVELLAM.

Dulce mihi totis uri, mea Flamma, medullis:
Dulcis moestities, dulcis amarities.
Dulce die lachrymis, noctu indulgere querelis,
Nec requietem animo gaudiaq; ulla dare: nulla
Dum fixis oculis luctantes cerno papillas,
Purpureasq; genas, lacteolasq; manus:
Dum soleo blando sermone audire dolentem,
Meq; leuem dici, nullius & fidei.
Heu mihi quàm vinctos tenuit tuus ille cachinnus
Omnes mi sensus, cordaq; praeripuit.
Quot bona percepi aduersis ex pluribus, vt sic
In mediis felix dicerer esse malis.
Dii mihi perpetuum hunc vitae seruate tenorem
Sic erit, ut populi numina uestra colant.
Sanctius, atq; adytus penetrent, arisq; ministrent,
Sacraq; permulta cum prece thura ferant:
Cum cernent flammis, curis, vitaq; periclis
Tot circumuentum talia ferre bona.

AD

AD EANDEM.

CVi dabis hos oculos, mea lux, roseumq; labellum,
Has mammas, atque haec brachia cādidula?
An ne mihi? certe mihi, uos procul este rapaces,
Queis nunquam satis esse una puella potest.
Flamma mihi Iuno, Pallas, Venus, & Thetis una;
Mi praeter Flammam nulla puella placet
Non ego mulciuolus nunc hanc, nunc persequor illam.
Sed solùm Flammae pendeo ab igne meae.
Quare nunc merito Flammae mihi cuncta reposco,
Discite amatores non variare fidem.

AD EANDEM.

DIc sodes, mea flamma, mihi cur saeua minaris,
Cur miserum miris excruciasq; modis,
Cur me succensis facibus iacularis amantem.
Et rigidis telis cur mea corda petis?
Iam nulli possum, mea lux seruire, nisi vni
Flammae: Flamma mihi sola puella placet.
Flamma meis oculis multò mihi carior ipsis,
Et vita, atq; anima: Flamma puella mea est.
Quare vesanas mihi desine subdere Flammas
Bellula Flamma mea, o flammula bella mea.
Non ego plus possum, quàm sim, tuus esse, quid ergo
Nequicquam absumis, tot, tua tela, faces.

AD EANDEM.

Dispeream, si non vellem te odisse; sed idem
Dispeream, si non te magis usq; colo.
Queris cur fiat? facile est tibi cernere utrumq;
Si formam spectes, saeuitiemq; tuam.

AD EANDEM.

AN credis mea Flāma, tibi dare verba licere,
Et semper nobis dicere lenis ero?
Interea tuus iste oris, qui perdit amantes,
Iugiter abscedit non reparandus honor
Et fugiunt anni molles, Veneriq: litandi,
Quos turpe est frustra praeteriisse tibi.
Ergo obduratos animos mollire memento,
Pollicitamq; velis iam soluisse fidem.

AD EANDEM.

QVòd me saepe tibi cum fassus non nisi solo
Posse hoc seruitio subdere colla tuo.
Nec prae te quemquam velle, aut optare puellā,
Non si se nostrum conferat in gremium.
Non licet è celo mittatur qualibet alto,
Non si me enixè vel petat ipsa Venus.
Nunc tu me torques, nunc tu me audacius uris

Sæuitiæq; tuæ non finis esse modum.
Sed iam conde faces, infectas proijce sagittas,
Non Vror: sæuas conde puella faces.
Ille calor totis absceßit flamma medullis:
Quare conde faces, conde puella faces.
At rides miseroq; iuuat te illudere capto,
Et sero exprobras me resipisse nimis?
Nec credis quandoq; fore, vt te impensius urat,
Et flammas imo pectore subdat Amor?
Atq; tuum nomen, quod nunc labefactat amantes,
In damnum vertat, perniciemq; tuam.
Quod si me interdum liceat spectare, quid usquam
Gratius, aut quid mi dulcius esse potest?
O ego lætitias, ò qua noua gaudia sumam,
O tua ridebo ut, uana magisteria;
O quas ingreßus, magnorum templa Deorum,
Corde pio grates exoluisse velim.
Di facite vt videam rapidis hanc ignibus vri,
Di precor hoc facite pro pietate mea.

AD SANCTEM TITIVM PICTOREM.

PInge mihi Venerem pictor, castamq; Dianam:
Sola tibi exemplum nostra puella dabit.
Aspice fulgentes mirè, duo sydera, ocellos,
Aureolasq; comas, purpureasq; genas.
Aspice marmoreum pectus, roseasq; papillas,
Aspice formoso ut corpore tota nitet.

Hanc

Hanc mihi si faciem referes ab imagine ueram,
Te pergam celebrem reddere carminibus:
Et tibi Protogenes, magnus tibi cedet Apelles,
Graciaq; quosq; alios protulit artifices. terra beata tulit
Sed Venerem blandosq; sales, suauesq; lepores
Quo nam te sperem pingere posse modo?
Hac ego Moeonia celebrabo rite camoena:
Perge mihi corpus pingere ab arte tua.

AD FLAMMAM DE LYCE CATELLA.

Verbere Flamma Lycen duro semel ipsa coerce,
Mordicus apprensum me tenet vsque foro.
Saltat, & huc illhuc, nec me sinit esse quietum
Dilacerans humero pallia fusa meo;
Illa minas nostras nil curat; reiice papillis
Vel semel a teneris; tunc ego tutus ero.

DE LYCE CATELLA.

Quis me è cõplexu Flammæ ferus abstrahit, ipsis
Gaudia conturbans inuidiosa Deis?
Mutua quis nobis perrumpit verba querelis,
Et frangit strepitu deliciasq; meas?
Tu ne Lyce improbula? an tu? tu ne mala ipsa catella?
Tu me suspensum, sollicitumq; tenes?
An forsan dominaq; sinum, roseasq; papillas
Et pectus nitidum, pulchraq; colla petis?

Et dolet hac alium tractare, ac sæpe vicißim
Lambere vel frontem, purpureas ve genas,
Arctius, & iusto amplecti, gremioq; fouere:
Hoc est, quod te iam conficit, & lacerat.
Sed tu blanda Lyce solamen dulce puellæ,
Hac age, & ad dominam tu quoq; bella veni.
Non ego te lenta patiar tabescere Flamma:
Ergo age bella veni, tu modo bella ueni.

AD LYCEN CATELLAM.

Ten' potuiße mea Flammæ mordere labella?
Tene Lyce Flammam lædere quiße meam?
At vidi, & dixi solantia verba puellæ
Et medicina illi nostra salutua fuit.
Et vix effeci, quùm quæreret vndiq; pœnas,
Horridulo ne te verbere conficeret.
At posthac solum, quæ prominet ore tenello,
Sume volens escam, linque labella mihi.

AD PETRVM GHERARDIVM.

Carmine seu scribis, scribis seu lege solutus
Scripsiße aut Phoebum, Mercurium ve puto
Nec mirum, siquidē cedit sua munera Phoebus,
Auratamq; tibi donat habere chelyn.
Nec puduit superum sacram concedere virgam
Nuncium, & insigni sceptra dediße tibi

AD

AD EVNDEM.

VIue diu nostræ magnum decus Vrbis, & idem
Viue precor felix, sed memor usq; mei.

IN EVNDEM.

HIc solus castam Ciceronis (credite) linguam
Vincere, & eloquium, cultaq; uerba potest.
Et sola altisonum superat sua Musa Maronem
Et dulces numeros docte Catulle tuos.
O felix ætas nimium, nimiumq; beata,
Et tu Burgopolis digna Marone nouo.

AD EVNDEM.

NVlla dies poterit, nulla inclementia cœli,
Nullaq; liuiduli lingua nocere tibi.
Tale Gherarde paras monumentũ docte tuarũ
Virtutum, ut possis omnia despicere.

DE EODEM.

CArmina honorato nobis dat digna Marone
Pierius, Bauio uix illi reddimus, ut sic
Munera conspicias haud æqua lance repensa,
Non

Quid toties repetis memorosa cacumina Pindi
  Nequicquam aßiduo membra labore terens?
Fessa've quid dulci deuinctam lumina somno
  Versu incomposito sollicitas dominam?
O nimis obtusis, & duris auribus illam,
  Carmina quæ auscultans talia ferre potest.

AD SVOS LIBROS.

IAm vos aureoli mei libelli,
Vos ô Pierides meæ valete,
Et lusus valeant Catulliani.
Isthæc tempora iniqua non requirunt
Hos iocos, & amabiles lepores.
Sed tantum aßiduè laborioso.
Et iugi studio eruditionis,
Quæ lites dirimit graues clientum,
Nunc me incumbere oportet, & perenni
Cura discere quæstuosa iura:
Nullus nam locus est bonis camœnis,
Cultarum studiisq; literarum:
Sed iacent misera in luto, atq; harena.
O ætas nimis anxia, appetensq;,
Ætas vel minimi rapax lucelli;

AD RAPHAELEM GRIPHONIVM.

RErum quid Raphael tuæ camœnæ
Gerunt dulcisonæ, simulq; doctæ?
Aut quid nunc meditantur in repostis
Antris Aonij iugi, tuoq;
Inspirant animo, Marone dignum?
Cur celas miserum tuum sodalem,
Qui solum hoc cupit, expetitq; solum,
Vt mentem recreet, leuetq; curas,
Quæ premunt animum nimis molestè?
An quæ Aristoteles suis libellis
Prodit aureolis, labore grato
Rimaris? medicum aut opus Galeni,
Doctiue Hippocratis diserta scita
Tractas: quo melius proterua possis
Languentum mala pellere, atq; morbos,
Extinctis animam referre ab Orco?
Dic, longasq; moras silentij iam
Rumpe mi Raphaël, tuumq; amicum
Solare egregia allocutione.

AD PETRVM GHERARDIVM.

QVanti te faciam bone, atq; docte
Pieri, satis esse duco notum
Tibiq;, ac alijs tuis amicis,

Quibus

Quibus cum fuerim locutus vnquam
De te, deq; tua benignitate.
Atq; hoc quàm meritò, satis superq;
Cognoscent homines venustiores,
Qui legent tua scripta perpolita,
Et multa pariter referta dote
Artis, ingenij, scientiaeq;.
Quas tibi studio laborioso
Quaesisti, vt volites virum per ora
Clarus. Nunc rogo te optime, ac perennis
Sodalis mihi carior salute,
Et vita, atq; anima, vt tuos libellos
Pulchros, aureolos, simulq; doctos
Mittas vnanimi tuo Roberto:
Certè nil poterit mihi esse quicquam
Iucundum magis, & magis suaue.

AD VINCENTIVM MELIORATVM.

TV solus referes venustiorum
Ocelle ò iuuenum, decusq; nostrae
Vrbis, atq; perenne lumen illum,
Illum Remigium, vnicum parentem
Ipsius Sophiae politioris,
Esse quo poterat superba nostra
Non solum patria ipsa, sed bonarum
Mater Italia artium, atq; morum:
Illum Remigium, sinistra fata

Quem nobis rapuere ab hinc tot annos
Magno me hercule cum dolore nostro,
Et fletu, lachrymisq; luctuosis.
Cuius tu potis es Mineruæ alumnus,
Phoebi deliciæ, atq; amor sororum,
Quæ colunt iuga latè amœna Pindi,
Et ingens nimis, & nimis molestum
Damnum corrigere, & grauem ruinam,
Sagax ingenium tibi est, & ardens
Voluntas comitatur vsq;, & vsq;
Insomni studio, flagranti, & atri.
Tantum nunc superest, vt ipsa fœlix
Multos suppeditet dies tibi ætas,
Vt quem nunc facie refers parentem,
Virtute hunc etiam referre possis.

AD COELIVM BANIANVM.

FOElix, qui teneram meam puellam
Nunc videt, nitidos tuens ocellos,
In quibus latet abditus Cupido,
Amorum Venus omniumq; mater.
Fœlix, qui roseum videt labellum,
Labellum roseum liquore Diuum
Dulci dulcius, & magis suaue.
Fœlix, cui niueas licet papillas
Spectare aureolo sororiantes
Sinu, quas superi inuidere possint,

Et quas discupiat Cares habere:
O felix meritò, & beate Cali,
Qui tot, tantaq; gaudia vnus isthic
Captas; sed miser ò nimis Roberte,
Malas quem studia expulere in oras,
Huc inter varios nouos tumultus,
Inter Gymnasia artium bonarum,
Pulchra sed procul à mea puellà,
Puella tenera, atq; mollicella:
Qua carens cupiam mori libenter
Et cum qua cupiam pati labores
Omnes, & mala cuncta deuorare.
O felix Baniane ter quaterq;
Cunctis quem numeris facit beatum
Nunc Flamma; & nitidis suis ocellis,
Et mirè roseis suis labellis,
Et mirè niueis suis papillis
Exaequat superum beatitati.

AD FLAMMAM PVELLAM
Elegia.

O utinā mihi te referas, mea Flamma, benignā,
Teq; olim verè restituas cupido.
O vtinam solo incendas mihi nomine pectus,
Namq; tuum flammas, & quoq; nomen alit.
Quid iuuat immitis miserum sic perdere amantem,
An fortè expectas praemia saeuitiae?

Crede

Crede mihi, Veneri sunt hæc inuisa, nec vlla
Re magis offendas numina sancta Deæ.
Gaudia, blanditias, dulces sine fraude susurros
Hæc amat, & tacitis abdita verba notis.
Hæc amat insertis linguis rapere oscula, nudis
Et colluctari post modo pectoribus.
Dumq; simul tenero sternuntur languida fulcro,
Membra manu mammas stringere lacteolas,
Inq; illis oculos demum satiare petulcos,
Ac totam posito lumine conspicere.
Sæpeq; marmoreo circundare brachia collo,
Informemq; genis figere dente notam,
Hoc Marti, solido factis adamante cathenis
Quàm fuit exceptus, præstitit alma Venus,
Exhibuit Paridi hoc Helenes, Briseis, Achilli,
Hoc formosa nouo donat habere viro.
Nos quoq; dùm tempus sinit, & florentior ætas,
Sectemur tales delicias cupidi;
Tempora labuntur, presto adsunt vulnera vitæ,
Et properat tacito pigra senecta pede.
Tarda senecta venit, prohibet quæ frigida lecto
Lassare aßiduis membrà libidinibus
Tunc nimis heu serò cupies agitare choreas,
Et Veneris nulla bella ciere mora.
Bello apti iuuenes, exercet bella iuuentus,
Cui nunquàm insolitus, iam labor esse potest.
Turpe rudimentum est annos sic perdere primos,
Et viduo tota nocte cubàre thoro.

Heu pereat quaecunq; dies traducit inertes,
Perfida amatori deliciasq; negat.
Illam ego iam rebor duris in cotibus ortam,
Illa est Scyllaeo saeuior atq; freto.
Transiet haec aetas, flos hic languescet, & omnes
Aufugient Veneres; gratia nulla tua est.
Quàm citò gemmantes Eoo rore colorem
Deperdunt flores, languiduliq; iacent.
Quàm cito odorati victura rosaria Poesti
Decussis prato strata natant folijs.
Illis nullus honor, nullae optauere puellae,
Nec sibi quisq; velit condecorasse comas.
Tàm citò praeteriet quodcunq; est flamma decoris,
Atq; tuae formae nullus amator erit.
Nec quemquam inuenies, qui pro te dura subire
Curet, & ambiguas consuluisse vices.
Quanquàm non me aetas mutabit tota Sybillae,
Non mores priscos saecula longa meos.
Non labor Herculeus, non mille pericula vitae,
Sic mitis venias, quae modò dura fugis,
Praelia, quis magnae iacuerunt moenia Troiae,
An mouit rugis Graeca puella suis?
An stetit Atrides segnis, pugnaeq; pepercit,
Vt lecto effoeta iam potiretur anu?
Quare dum licet optatos iungamus amores,
Et quodcunq; mali est dissipet hinc Zephyrus.
Humida sumamus luctantibus oscula linguis,
Atq; iuuet femori conseruisse femur.

AD

AD PRIAPVM.


SI mihi, quæ manibus signauit roscida mala
Ipsa suis Flamma intacta Priape manent,
Et cautus furum defendis falce rapinas,
Impunè vt nullus surripuisse queat;
Atq; importunas abigis procul vsque volucres,
Ne sturnus noceat, Strymoniæue grues.
Constituam ante aras pomosi munera agelli,
Morum pingue, pyrum, cerea pruna, nuces.
Atq; piè multo venerabere lacte quotannis,
Et cadet è parua mystica porcus hara.
Nec deerunt plexæ nonnullo è flore corollæ,
Quæ cingant mistæ tempora cana rosis.
At si supplicibus respondet prodiga votis
Tellus agricolæ fertilitate sua,
Tu, modò qui carie iam iam confectus iniqua
Adstas ficulno è stipite membra gerens,
E solido fies auro, viridiq; smaragdo,
uota Maior & ante focos victima pulla cadet.

FINIS.

GVIDO Seruidius Præp. & Vicar. Generalis Florent. hæc carmina vidit atq; perlegit, & quia nihil de fide, aut catholica Religione pertractant Florentiæ imprimendi licentiam, ac facultatem concessit Nonis Iulij 1571.






182
11
26

